DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

FEBRIBUS SECUNDARIIS,

Quam

In Alma Regia et Electorali FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, DUCATUS MAGDEBURGICI VICARIO,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. DECANO.

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores

& Privilegia Doctoralia adipiſcendi,

Ad d. Mart. Anno MDCCVII. horis ante & pomeridianis

Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubmittet

DAVID GUILIELMUS PAULI,

Uratislaviâ Sileſius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30770567

PROOEMIUM.

QUemadmodum nemo forte dubitat, quin ingens ingratitudo, imò dixerim potius imperitia habenda foret, ſi HIPPOCRATIS multiplicem laborem pro inſtruenda arte medica, temere contemnere quisquam ſuſciperet; Ita ex adverſo tamen etiam imprudentia omnino, neque multo minor quam dicta modò imperitia habenda eſſet non exigua, ſi ipſi etiam imputaretur, quaſi pleraq;, quæ ad artem pertinent, verè perfecerit, nedum ut hoc ab illo exigere in Mentem venire deberet, qui primus hoc Negotiũ immani certè labore aggreſſus eſt, ut ille omnia luculenter eloqui, & poſteritati abſolutum ſyſtema dogmatum exhibere, vel debuerit, vel potuerit. Enim vero puto ſatis ipſum in hoc genere excuſari, ipſo facto tam numeroſæ æque atque longæ poſteritatis. Cum enim ne quidẽ hæc ipſa, ſubſidiis monumentorũ ipſius Hippocratis ita egregiè inſtructa, tot ſeculorum ſucceſſu ſolidam artis hujus doctrinam decenter adhuc perfecerit, ab-

ſurdum certe eſſet ab illo hoc exigere, qui primus veluti hanc aleam jecit, neque veriſimiliter alia ante ſe ſubſidia invenit, quam ſparſa quædam narrationum qualiumcunque fragmenta, quæ quacunque demum ratione uſui adhibere primum, & poſtea commendare, res certè fuit tanti laboris, ut inde perfectum quiddam & omnibus numeris abſolutum expectare, omni æquiori rationi adverſari videatur. Duæ ſunt res, in quibus & Hippocratem, & quotquot ipſum ſimpliciter *κατὰ πόδα* ſectati ſunt, plurimum defeciſſe, vel leviter animum advertentibus maniſeſtiſſimum eſt. Primum horum eſt, *Vera diſtinctio Affectuum, ſecundum ſpecies atque Claſſes* ſuas; in qua certè re plurimum deeſſe ipſius Hippocratis variis commemorationibus qualiscunque reliquæ Hiſtoriæ ipſorum Affectuum, neminem qui ſcripta ejus legit, fallere poteſt. Unde quidem non niſi ſolidæ peritiæ & peritæ æſtimationis atque diſcretionis negotium eſt, ea, qua Hippocrates paſſim, ſine juſto diſcrimine, commemorat, de variis Affectibus, illa ita à ſe mutuo ſecernere, & in proprias tribus diſtingvere, ut quid *generi* commune, quid *ſpeciebus proprium*, quid *individuis* ſingulare, quid *intrinſecum* ſeu eſſentiale, quid *adventitium* ſeu accidentale, ſingulis ex illa quaſi Panoplia tribuendum ſit & aſſerendum, ſatis aſſequi, imò exequi & in effectum atque uſum deducere obtingat. Alterum eorum, in quibus Hippocrates graviter utique defecit, eſt, ſpeculatio *de modo fiendi*, ſeu *ætiologia* plerorumque Affectuum. Quamvis enim notatu digniſſimum ſit, quod Hippocrates ab hac parte doctrinæ multum ſibi temperaverit; ubi enim indulgere huic inclinationi ſuſcepit, longe plurimum rebus inſiſtere maluerit, quarum energiam etiam è ſimpliciore obſervatione

ne & Hiſtoria experientiæ ſic ſatis cognitam atque perſpectam habuerat; tamen cum & alia ſubſidia, & ipſa ſufficiens ἀκρίβεια comparationum atque collectionum paſſim deſint: imò vero enim alienæ philoſophandi rationes illorum temporum (ut de *primarum Qualitatum* efficacia,) ipſum paſſim perplexum redderent: nihil aliud inde ſecutum eſt, niſi ut vel crudiore quodam modulo explicationes qualitercunque *ætiologicas* adornaret, vel etiam planè aliena eò applicaret, quorſum ut quadrarent, nulla certè amuſſi, neque per rectum neque per obliqvum, adigi poſſint atque flecti. Sicut autem hæc vitio vertere optimo Seni, iniqvum omnino foret; ita ineptum profectò eſt, non ſolum hos ipſius defectus obſtinatè negare, & quibuslibet *ampliationum*, *ſuppletionum*, *detorſionum*, machinamentis, ipſi acquirere atque aſſerere velle, quæ ejus minimè ſunt: ſed inprimis etiam ex alio longe Capite, propriarum ſuarum neceſſitudinum cauſa, minus extricatis *Hippocratis* Rebus, propriis ſuis implicationibus ſubſidia parare velle, & quod Germani proverbio jactant, *in turbido piſcari*, in animum inducere. Præbent certe rerum, de quibus hactenus loquimur, Exemplum evidentiſſimum ipſæ præcipuè FEBRES. De quibus quam pauca verè *diſtinctè* tradiderit Hippocrates, ante oculos veluti omnium jacet. *Multa* tradidiſſe, imò multa etiam cum ſummâ induſtriâ inculcaſſe, omnio certum eſt; *Vera* eſſe pleraque omnia (nempe ſeponendo quæ magis per *Individua* & *accidentaliter*, facta, ad ſumam totius rei hinc inde ambiguè reflecti videntur:) non voco in dubiū: Interim, licet *vera* ſint quæ dixit, tamen non *omnia quæ vera* ſunt dixiſſe, etiam nemo alius puto dubitaverit: Interim etiam hæc, quæcunque de reliquo optime dixit,

 non

non ita dixiſſe, ut vel ipſum vere undique *ſpecifice* diſtinctum conceptum de iis habuiſſe ſatis appareat, aut alius quisquam talem inde luculenter elicere ſimpliciter valeat, ſed potius illum demum inſerere magis quam inferre neceſſe habeat, manifeſtò etiam dilucеſcit. Quantumlibet autem etiam de reliqua vera *ſpecifica* Febrium diverſitate nusquam condignè & ſufficienter peregerit doctrinam; tamen adhuc evidentior eſt defectus allegationis *reſpectus* atque *habitus* Febrium, ſive *propriæ* quaſi ſubſiſtentiæ, & ſimplicioris earundem energiæ, quatenus magis per *ſe ipſas* veluti ſubſiſtere paſſim videntur: Sive *connexionis* ſeu *conſecutionis*, uti vocant, *dependentiæ* earundem ab aliis affectibus, *ante* illas, vel *cum* illis, corpus obſidentibus & invadentibus, & cum hiſce Febribus veram atque realem *complicationem* ita habentibus, ut unum hujusmodi Pathematum ſine altero non modo non ſoleat *facilè* reperiri; ſed etiam in plerisque Caſibus, alterum tale ſine altero ne quidem poſſit ſubſiſtere, quin in *Corpore vivo* neceſſitate quadam mutuus talis nexus atque *Concurſus* contingere debeat. Prima quæ ex hac diverſitate reſultat Febrium differentia, eſt inprimis tam ordinis ſeu *typi*, in ſucceſſu, quam totius *Periodi* imò vero *eventus*, in exitu, plurimum diverſa facies: dum videlicet Febres *ſimpliciores* atque *per ſe* magis ſubſiſtentes, & progreſſus ſuos exquiſitiores, ſeu *typos* conſtantes, tum univerſas periodos & exitus ſolenniores & quaſi *certos atque firmos* habent: hujusmodi vero *complicatæ* Febres, & cum alia, etiam per ſe ſubſiſtente peculiari læſione *connexæ*, non poſſunt ita *proprium* quiddam obtinere, proſequi, aut exequi, ſed neceſſario annexi velut oneris pondus ita

ſecta-

ſectari coguntur, ut nihil niſi ſecundum infidum hoc *conſortium* vel *progrediendo* vel *abſolvendo*, valeant, quin *ſocii* illius ſui *Mores*, *Motus*, atque *Greſſus* imitari atque comitari cogantur. Quæ ſane res cum uſum habeat in *Praxi* immenſum, imò etiam in *Theoria*, dico verâ ſolidâ *Diagnoſi*, *Pathologiâ*, & *Prognoſi*, nihil ſincerum ſine hac ipſa obtineri poſſit, & ſane propemodum etiam expectet adhuc ſolidam atque luculentam evolutionem, viſum eſt THEMATIS INAUGURALIS loco hanc conſiderationem atque deductionem mihi ſumere, & de FEBRIBUS SECUNDARIIS, earumq; Indole atque numero, præcipua quæ res poſtulet enucleare. Cui cœpto ut VERITAS UNA SUMMA clementer ex alto benedicere dignetur, calidis votis exoptamus.

§. I.

UT ante omnia conſtet, quid Vocabulo FEBRIUM SECUNDARIARUM intellectum velimus, provocamus ad receptam in Scholis Medicis diviſionem πρωτοπάθειας & δευτερωπάθειας; ἰδιοπάθειας ϗ συμπάθειας, γενέσεως ϗ ἐπιγενέσεως. Ubi nempe quæ Pathemata *propriam* ſuam *ſubſiſtentiam* habent, *Cauſas directas* atpue *proprias*, *primarium* affectum, *unum* affectum conſtituere intelliguntur: quando verò non ſolum inter ſe mutuo *concurrunt numero plures* paſſiones, ſed etiam planè directè inter ſe mutuo colludunt atque verè *concurſant*, tunc *acceſſoria* ejusmodi Indoles inde naſcitur, ut inprimis de vero *ordine* concurrendi aut conſurgendi, alius eorum *primus* cenſeri debeat, alius *ſecundus*: imò ratione dignitatis etiam, alius *primarius*, alius *ſecundarius*.

§. II.

Enim verò meretur omnino diſtinctio illa, ut in ſe vera & realis, etiam decentem conſiderationem, quod non ſolum *ordi-*

ordine, alius Affectus altero ſuccedente prior exiſtat; Sed etiam, ſecundum famoſiorem vocabulorum ipſorum acceptionem, revera alius *primarius*, verè *æſtimatione atque dignitate* potior: alius *ſecundarius*, in ordine ad illum alterum revera *levioris* ponderis atque dignitatis, conſtitui atque reputari debeat. Ubi quidem nihil impedit, quin etiam de reliquo, è propria ſua *Interna* conſtitutione ſatis *grave* malum, & vel *per ſe* laborioſum atque impeditum, nihilominus *ſocium* inveniat adhuc *deteriorem*, cujus intuitu quam *propriam* habet, ipſius *in ſe malitia* levior adhuc evadat. Tanto magis autem contra, affectus aliquis talis, qui *ſibi relictus*, propria ſua indole nequaquam adeò impeditiſſimus & laborioſus eſſet, ipſo illo concurſu cum aliquo *deteriore*, eo difficultatis deducatur, ut prægravante alterius illius pondere, etiam ſe ipſum velut explicare nequaquam valeat, ſed potius unà cum altero, quaſi mutua opera, in pejus labendo atque procumbendo, ſi non directè damnum, quod inde ſequitur, augeat, tamen certè etiam parum aut nihil illud remoretur.

§. III.

Hoc itaque vocis ſenſu IDIOPATHICAS quidem intelligimus Febres, quæ vere 1.) res ſuas *proprias* habent; & quidem 2.) hoc ipſum etiam ita eminenter, ut hac occaſione conſpicuus inſignis quidam *complexus* totius Affectus ſubnaſcatur: In quo quidem 3.) propterea etiam conſpicuum quoddam veluti *ſyſtema*, *ordinatis* etiam plus minus operoſis progreſſibus atque ſucceſſibus innitens, inde reſultet: quod etiam 4.) *ambitum* univerſum peculiarem ſervans, & certam *exitus ſui Menſuram* agnoſcens, eo ipſo vere ſpecificum quiddam, immo *ſpecialiſſimum* ſiſtat. Secundum quam videlicet Ideam maximè Febres *vere* TYPICÆ, aut certam aliquam *Secretionis* atque *Excretionis* ſpeciem, quaſi toto ſuo *apparatu* adornantes, & ſi nihil ex accidente impediat, etiam præſtantes atque perficientes, hoc ſenſu IDIOPATHICÆ dici merentur; utpote quales verè res ſuas ſibi ita habere, propter ejusmodi *materiales* cauſas veluti ſimpliciter atque directe concitari

citari & formari, iisque undique velut *immediatè* & *verè directè* quadrare, imò quos etiam tandem effectus edunt, hoc pari ejusmodi *directa* energia præſtare atque perpetrare, quaſi ſentiantur.

§. IV.

Ex adverſo verò SECUNDARIAS Febres illas appellamus atque agnoſcimus, quæ alteri planè Affectus generi ita *accedunt* atque ſuperveniunt, ut neque unde, aut quomodo ita ipſæ per ſe cooriri deberent, ulla aliqua vere probabilis, ne dum evidens & conſpicua *directa Phyſico-mechanica* ratio occurrat: neque *progreſſus* & *ſucceſſus* earum alius, quam ſimpliciter fortuitus, & prout *complicati* illius affectus *in ſe* ſpectata Indoles hoc admittit, ſive in genere *liber* atque expeditus, ſive in ſpecie *ordinatus* ſit atque proportionatus: eoque ipſo tandem etiam univerſus *exitus*, non niſi ſecundum incertam hanc proportionem *receptivitatis* alterius illius affectus, certus, imo potius *incertus* eſſe poſſit. Et hujus Ideæ ſunt omnes omnino tum quæ verè INFLAMMATORIIS ſtaſibus, tum ad eas proclivibus diſpoſitionibus, adjunguntur: utpote quas neque aliquid *per ſe* efficere aut perficere poſſe, neque proinde *certos*, & inprimis *ſtatos*, progreſſus & *exitus* abſolvere, neque quidquam *perpetuum* exitu ſuo obtinere aut perpetrare poſſe, nec ipſam *Materiam* cogere aut *ſubigere* INFALLIBILIBUS PROPORTIONIBUS, ſed potius hujus Materiæ Indoli ſimpliciter *obſequi* neceſſe habere, & toto ſuo progreſſu & exitu *Materiæ receptivitatem ſectari* debere, velut evidentis veritatis exiſtit.

§. V.

Non placet Febribus his SYMPTOMATICARUM Nomen tribuere, quod interdum fit; & hoc quidem duplici de cauſa. 1.) quia *ſymptomatis* nomen *in genere*, familiarius ſcholis Medicis denotat talem rem, quæ ſimpliciter alteri cuidam concurſat, ut *phyſicè neceſſarium* quoddam *concomitans*. Quo ſenſu nempe ſymptomata directa *eſſentialiter conſequentia* ab aliquibus appellantur, quæ cuicunque partis alicujus læſioni abſolutè veſtigia legunt: ut proportionatæ læſiones *actionum*, quando

 do

do *pars* ipſa læſa eſt: aut 2.) *ſpecialiore* acceptione ita nominantur, quæcunque *accidentia* atque *ſupervenientia*, licet cum reliqua conſtitutione affectus cujuscunque *primarii*, nullum verum atque directum *nexum* agnoſcant: Quin denique 3.) *ſpecialiſſimâ* acceptione ſcholarum Medicarum *ſymptomatica* inprimis appellantur in Morbis, quæ etiam familiarius Affectui primario potius *præjudicium* quoddam afferunt, eique *depravando* magis quàm *ſublevaudo* inſervire ſentiuntur.

§. VI.

Ad nullam autem harum Claſſium referri debere Febres illas plerasque, de quibus loqui ſuſcepimus, ita demonſtramus. *Primò* nullis illorum Affectuum, quibus *ſecundariæ* febres adjunguntur, obtingunt tales ex aliqua verè PHYSICA *neceſitate* aut *internâ* affectuum talium propria & *eſſentiali* ratione: quod manifeſtò ex eo dilucefcit, quod tales Affectus re vera ita *propriam* ſuam ſphæram habeant ac obtineant, ut ſalvâ totâ ſuâ eſſentiâ, hinc verè dictâ *Febre* (i. e. *univerſali proportionata, extraordinaria commotione ſanguinis valdè ſenſibili*) & poſſint exiſtere, & paſſim exiſtant. Quo intuitu ita tales febres, quando utique cooriuntur, ab *eſſentialium, à priori* directorum, *ſymptomatum* cenſu, meritò exulant. *Secundò*, nec etiam *accidentalium* eventuum ſimplici indoli adſcribi merentur; cum utique non ſimpliciter ab illorum Affectuum Indole, quibus accedunt, *alienæ* ſint; ſed potius ſub certis *reſpectibus*, illas (non tam ſequantur ſimpliciter, quam) *debeant* neceſſariò ſequi. *Tertiò*, minime omnium autem *tertiæ* illi claſſi ſymptomatum accenſeri merentur; cum nullo modo *ex ſe* & vera *propria* ſua indole, affectibus illis, quibus ſuperveniunt, ullum *præjudicium* afferant; ſed potiùs, niſi (ſui ipſarum Indolis reſpectu) *omnino per accidens impediantur*, uſum utique præſtare idoneæ atque compotes ſunt.

§. VII.

Ut rem breviter eloquamur, non tam *phyſicæ* alicujus *neceſſitatis*, ſed *moralis*, *utilitatis* ſummæ quin *neceſſitatis*, conſectarium ſunt hæ Febres. Unde, ſi liberum ſucceſſum nanciſcun-

ciſcantur; ut neque affectus *primarii* conſtitutio inſuperabilis obſiſtat; neque *viarum* exquiſita habilitas fallat, neque planè *accidentalis* fortuita *perturbatio* incidat: reverà efficaciam ſuam ipſo ſaluberrimo effectu & eventu præſtant. Tanto minus autem vel aliunde *ſupervenientium* ſymptomatum indoli, ita reſpondent, vel plane *periculoſorum* aut ſimpliciter & *ex ſua propria indole noxiorum* affectuum Catalogo inſeri debent, cum uti modo dictum, certiſſimè potius ſimpliciter *per accidens* ipſæmet impediri debeant, ſi ſine utili omnino effectu cedere, eoque in ſolidum excidere debeant.

§. VIII.

Cœterum, ut etiam has SECUNDARIAS Febres, à verè PRIMARIARUM cenſu eximamus, notandum eſt, quod utique cum illis *generice* in eo conveniant, quod æquè atque *primariæ*, *utilitatis*, imò quadantenus *neceſſitatis* cujusdam rationem & efficaciam omnino habeant; interim non ita quaſi *ſimpliciter abſolutam neceſſitatem*, uti quidem pleræque omnes *primariæ* Febres, inferant. Deinde etiam minime tam exquiſitam *proportionem* efficaciæ ſuæ in illos affectus, quibus adjunguntur, habeant, qualem Febres *primariæ*, in illas *Materias, cum* quibus, *propter* quas fiunt, & quibus omnino longe verius *directe atque ſimpliciter* quadrant, & niſi per accidens impediantur, ſimplicius ſatisfaciunt: quod hæ noſtræ ita *ſimpliciter directè*, uti dictum, non præſtant.

§. IX.

Tantò magis autem certe cavendum hic eſt ab illa confuſione, qua Febribus his vel planè *directè noxius* effectus imputatur; ut per veram imperitiam, ſiniſter eventus in hujusmodi Febribus, veriùs à *primarii* affectus incoërcibili maleficio pendens, iniquiſſimè potius directè ipſi *Febri* tali imputetur, & ad hanc ſcenam ornandam varii *defectus* & *progreſſus* Febris HUJUS, non aliter quam alterius cujusdam *primariæ*, culpæ atque noxæ poſtulantur. Cum potius æſtimari deberet illa *primarii* affectus diſpoſitio, quæ refragata optimis Febris motibus, *propria* ita ſua *malitia* vicit, & funeſtum effectum introduxit.

§. X.

Conſtitutis ita hiſce noſtris rebus, quod acceptionem Febris *ſecundariæ* attinet, faciemus progreſſum ad ipſam earundem intimiorem indolem; quod quidem eô ordine, qui ſequitur, ſatis commodè perficere confidimus. Nempè *primò* loco, conſiderabimus illos *Affectus*, quibus ſua acceſſione *ſecundariæ* Febres eveniunt: *Deinde* inſpiciemus, quomodo hi affectus etiam verè *per ſe ſine Febre* concomitante exiſtere poſſint: *Tertiò*, *quanam ratione* Febris illis accedat atque ſuperveniat: *Quartò*, cujus *indolis* atque *ſchematis* ſit illa Febris: *Quintò*, quid Febris ſub hac ſuâ *complicatione*, non ſolùm *posſit*, ſed non ita rariſſimè etiam ipſo facto perpetret, ab *adjuncti* hujusmodi Affectus alterius *indole*, *alienius*. *Sextò*, quid etiam ſub tali Febre *conjuncta*, tales Affectus, ex ſuâ *propriâ* indole poſſint, *à Febre* ipsâ *alienum*. *Septimò*, & qualis hinc reſultet Habitus etiam *Eventuum*, inter hujusmodi *Affectus* ipſos, & illas *Febres*, quaſi *reciprocè* inter ſe mutuo libratorum.

§. XI.

Quod itaque *primum* attinet, ſunt *Affectus* illi, quibus veræ hujusmodi Febres *adjungi* ſolent, INFLAMMATIONES, ULCERATIONES, imò etiam CONGESTIONES atque RESTAGNATIONES HUMORUM, ad iſtos eventus *inflammatorios aut ulceroſos* in proxima quaſi Potentia conſtitutæ; Imprimis autem magis *impetuosè*, aut magis *copiosè* atque *diffusè* coortæ.

§. XII.

Ita enim etiam in *externis* partibus coorientes *Inflammationes*, *repentinæ*, *copioſæ*, præſertim autem cum inſigni *ſolutiones continuitatis* junctæ, (in *Vulneribus*, aut valdè gravibus *contuſionibus*,) ita ſatis facilè *adſciſcunt* Febrem hujusmodi.

§. XIII.

Tantò magis autem & familiarisſimè omnium, *adjunguntur* hujusmodi Febres *Inflammationibus* INTERNIS, VISCERUM nempè, tam in *Thoracis*, quàm *Abdominis* Cavitatibus comprehenſorum. Unde *Pleuritis*, *Peripneumonia*, *Hepatitis*, *Ventriculi*

In-

Inflammatio, Splenis, Meſenterii & *Glandularum* ejus, *Inteſtinorum, Nephritis*: Imò *Phrenitis* etiam, & *Faucium* ipſarum præcipites & intimiores *Inflammationes*, facile Febrem acuti ſchematis *adſciſcentes*. Quales *Hippocrates de Vict. rat. in Acut.* quoque citat.

§. XIV.

ULCERATIONES Febris ἐπιγένεσιν ſubeuntes, *verioris*, inquam, & *manifeſtioris Febris* feraces, ſunt inprimis *Pulmonum*, & illæ quidem familiariùs occurrentes. Rariores quidem, ſed tamen obtingentes, aliorum quoque *Viſcerum*, inprimis *inteſtinorum*, & *Renum*.

§. XV.

Congeſtiones illæ atque *reſtagnationes inflammatoriæ atque ulceroſæ* diſpoſitioni appropinquantes, & proinde *Febrium* concurſui expoſitæ, ſunt *Rheumata Arthritodea*; quin etiam *Arthritides ſinceriores*, in corporibus *ſangvineo plethoricis*, aut *Cholerico-ſangvineis Plethoricis*: & quidem â capite ad calcem, præcipuè verò *vago motu*, ſcenam ſuam ludentes.

§. XVI.

Sicut autem hæ *Inflammatoriis* ſtaſibus propinquæ ſunt, ita *ulceroſis* materiam atque fomitem ſuppeditant, *Nodi* illi atque *Scirrhi*, qui ſœpe ab inſenſibilibus initiis ſuccreſcentes, tum in *Pulmonibus* tum in *Meſenterio*, nec ita planè rariſſimè in *Hepate*, offenduntur, in Corporibus etiam aliunde demortuorum, & Sectionibus forte ſubjectorum: à qualibus etiam apud alios ſubnaſcentibus, tandem *ulcerationes* veras atque *Tabes* irreparabiles prognaſci, veriſimillimum exiſtit.

§. XVII.

Quod jam *alterum* Membrum noſtrarum conſiderationum attinet, nempe quomodo hi Affectus revera *ſeparatum ſuum Eſſe* habeant, ab ipſa, inquam, *Febre* quoquo modo *ſeparatum*, eique contradiſtinctum? diluceſcit hoc *duobus* modis. *Primò â priori*, dum *inflammatio* in genere, Febrem *ſtricto* ſenſu non planè *catachreſticè* ſumtam, minimè ſupponit; ſed verè *privatis* ſuis rebus rectiſſimè contenta eſſe poteſt, citrà *publicam univerſalem* commotionem ſangvinis, etiam ſolùm *ſenſibilem* ne-

dum eminentem, imò *vehementem*. *Deinde à poſteriori*, non deſunt Exempla ſatis diuturnarum *Collectionum inflammatorio-ſuppuratoriarum*, ſeu *Vomicarum*, in ipſis etiam *Viſceribus* ſubnatarum, quæ tandem inexpectato impetu *Pus* ſuum effundant. Qualibus licet ita ſatis frequenter utique Febres concurſent, jam *acutioris* (vix tamen *in longinquis*) jam *ſegnioris* Schematis; occurruut tamen etiam minimè rariſſima ejus generis Exempla, ubi citrà ullam ſenſibilem, nedum effatu dignam, Febrem, non ſolùm *longinquæ*, ſed certò vero ſenſu *inveteratæ* ulcerationes atque ſuppurationes in Viſceribus, tandem deprehenduntur. Cujusmodi Exemplar ante tempus non ita longum DD. Præſidi occurrit in nobili Adoleſcente XV. annorum, cui jam ab aliquot annis, inprimis ſub *motibus Corporis intemperantioribus*, aliquando etiam â *Vini Generoſioris* liberaliore potu, aliquoties repentè *ſuffocationis ſtrangulatoriæ* periculum obtigerat: quali tandem aliquando, omnem Discuſſionem reſpuente, demortuus, ſecto Thorace non ſolùm ſiniſtri lateris Pulmonem, ita *albisſimo*, *leviter* hinc inde *flaveſcente* & *ſubvireſcente* Pure, *circumfuſum* æquè atquè *plenum*, exhibuit, *turgidum* proinde, ſed tamen tanto *hiatu* eliquatum, quantus *ovum anſerinum* caperet, cum *ſinuoſis cuniculis* ad hunc paſſim pertinentibus: ſed etiam *Sternum* ipſum, ad hærente, *ſpiſſa* atquè *ſemiſiccâ*, *Puris* hujusmodi portione inſigni, inſigniter *arroſum*: interim ſine ulla conſpicua fortioris *Inflammationis præſentia*, & ullo *ſubputridi* odoris veſtigio. Fuerat hic Adoleſcens usque ad hunc ultimum inſultum, à PERPETUIS *Hecticis*, *Langvoribus* æquè atque *Caloribus*, adeò immunis, ut potius alacritate non ſolùm *Animi*, etiam ſubinde Juveniliter petulante, ſed etiam *Corporis*, aliquoties demum inſultibus ejusmodi importunioribus *ſuffocativis* occaſionem præbuerit: quales quidem illis temporibus *hujusmodi conſtitutioni Pulmonum* imputare, nec ulli Medico in mentem venerat, & revera etiam, *ſub talibus prægreſſis Circumſtantiis*, venire ne quidem potuiſſet.

§. XVIII.

Imò verò ſolidius adhuc dilucеſcit diverſa illa hujusmodi Affe-

Affectuum privata atque *propria* Conſtitutio à Febre, quantumlibet etiam ipſo facto iis concurrente, *ſeparata*, dum etiam exiſtente omninò, & res ſuas alibi agente atque habente ipſâ hujusmodi Febre, quæcunque illis *ſupervenit*, illi nihilominus etiam, *eô ipſô*, & *ſub univerſa febre*, pariter Res ſuas ſibi habeant. *Inflammatio*, æquè dum *acceſſit* Febris, quàm antequam *acceſſit*, imò ſi vel maximè planè non accederet: & ſi quid ſub illa Febre mutationis recipit (quod tamen ſatis ſœpe etiam non evenit) tamen eò usque minimè deſinat eſſe, quod eſt, licet forte *ſenſim minuatur* atque *ſucceſſivè diſtrahatur*.

§. XIX.

Tantò magis autem planum hoc eſt in *Ulceribus* Febrem *ſociam* habentibus; ubi utique nimio certius *Ulcus* eſt *Ulcus*, quicquid etiam *ſit*, *agat*, aut *habeat* Febris *concurſans*. Unde quidem *Hecticæ* illæ febres, quæ veræ *Phthiſicæ Ulcerationi* comites incedunt, licet quamdiu tranquillè procedunt, repentinas prævalidas exacerbationes atque graſſationes, inprimis autem *Inflammatorias*, ita ſatis *præoccupare* valeant; *Ulceri* tamen *quà tali*, nihil quicquam detrahunt, & quamlibet etiam illi nihil noceant, omninò tamen etiam *qua tali* certiſſime nihil commodi adferunt.

§. XX.

Adhuc evidentior res eſt in negotio *Podagræ* & *Arthritidis*. Sicut enim vana profectò magis eſt ſpeculatio, quàm ulla ſolida Experientia, quod Podagricis *abſolutè omnibus* aliquid *evidenter* Febrile præſto ſit; imprimis quando à variis *artificiis Medicis* internis & externis ſibi ſatis ſollicitè cavent: ita manet certè omni modo *Arthritis* atque *Podagra*, cum omnibus ſuis eſſentialibus circumſtantiis, quicquid tandem vel cenſeatur, vel in aliquibus verius etiam ſentiatur, *Febrile* concurrens, ab eodem exquiſitiſſimè diſtincta: tam, inquam, reliquis ſuis circumſtantiis; quàm eminentiſſimè propriarum harum ſuarum rerum *Proportione*: ſiquidem quàm optimè notandum eſt, quod tunc demum, quando minùs liberè ſuam indolem *propriam* exſerere atque exercere poteſt *Arthritis* aut *Podagra*, *Febrilia* illa acciden-

tia

tia verius ſuperveniant; adeò quidem, ut quàm maximè *cohibita* citò Podagra, veræ atque graviores *febriles* commotiones cooriantur: tantum abeſt, ut cum illis liberè dominari compotibus, *Febres* tales graviter *implicatæ*, & communione veriore *innexæ* agnoſci debeant.

§. XXI.

Sicut autem ita ſatis manifeſtum eſt, qui hujusmodi affectus etiam ſine *Febre* eſſe, imò res ſuas etiam ſub *comitante* Febre nihiloſecius adhuc ſibi *ſeorſim* habere poſſint, imò ſoleant: ita meretur omninò etiam conſiderari, quonam *ordine*, qua *ratione*, quo *intuitu* tandem, *Febris* his Affectibus ita jungatur: Quod *tertium* eſt noſtræ conſiderationis Objectum.

§. XXII.

Hic certè Næniæ illæ antiquæ, de *Accenſione Caloris in Corde*, per *Exhalationes putridas* â quacunque delatione, è parte aliqua, quæ fomitem talis *Putredinis* contineat, ad Cor transmiſſas. Quas omninò penitus eodem tono cantillant, mutatis ſolùm literulis, quicunque *acres* neſcio quas *particulas*, è Membris *inflammatis* ita ad *Cor* delatas, & hoc *ſtimulantes*, celebrant. Quos, ſi nihil aliud, certè velut ad hominem, illi neceſſariò confuderit, quod in multis externis *Inflammationibus* ſatis certè capacis ambitus, nihiloſecius vel planè nulla *recepto nomine* digna, vel nulla omninò *proportionata*, *Febris* comitetur: cum interim per hodiernam *Circuli Sangvinis* notitiam, nemo dubitare poſſit, quin *communio* illa Sangvinis ad ejusmodi partes commeantis, cum *Corde*, æquè perpetua ſit v. g. à *manu*, *brachio*, *pede*, *Crure*, *femore*, quàm â parte quacunque *interna*: imò etiam inſuper, è multò *majoribus*, *ſuppuraſcentibus*, *copiosè ſuppuratis*, quin planè *Gangræna* aut *Sphacelo* arreptis partibus & *Inflammationibus*, quarum ſœpè nihil *ſimile* inveniatur in *internarum* partium etiam *mortiferis* hujusmodi affectibus, Sectione poſt mortem exploratis.

§. XXIII.

Quod ipſum certè etiam conſtantisſimum argumentum præbet, adverſus quemlibet *directum materialem Effectum Inflammationum* atque *ſuppurationum*; quandoquidem ſi â talibus rebus

bus quâcunque ſimpliciter *materiali* efficacia hujusmodi conſectaria *Febrium* timeri deberent, fieri utique non poſſet, quin non ſolum veſtigia, ſed certe *proportionata* damna, etiam à quibuslibet, tantò magis autem *ſpatioſioribus* hujusmodi *ſuppuraſcentibus* Affectibus, ubicunque tandem in corpore coortis, perſentiſcere neceſſe eſſet: quod cum abſolutè non fiat, facilè apparet vis ejusmodi opinionum.

§. XXIV.

Ex alio itaque fonte proſpiciendum eſt huic negotio, quod quidem ſi Ratio audiatur, non difficile fuerit factu. Conſideranda nempè ſecundum rationem ſunt ſequentia *Inflammatoriæ* *ςάσεως* vera *Requiſita Medica*, i. e. quæ ipſi *neceſſaria* ſint, *ſi ſanari debeat*, i. e. ita occupari atque diſſipari, ne vel *ulla corruptio*, vel ad minimum *ſuprema* & *ultima*, corpori inde obtingat. Eſt horum primum DISCUSSIO; *ſubſiſtentis*, inquam, *Portionis* ſanguinis *Diſtractio*; aut ſecundò, ſi hæc æquè ita ſimpliciter nullum amplius locum inveniat, ad minimum agiliſſimarum partium, in neceſſaria *corruptione* primo loco *prorumpentium*, à reliquis ſegnioribus ita ſatis matura *depulſio*, *diſturbatio*, imò, ſi fieri poſſit etiam ultima *exturbatio*, ut amplius nocere non valeant. *Diſſipatio* illa, inprimis *coagulati* intra poros partium, ſanguinis, non poteſt melius fieri, quàm per veriorem mechanicam diſtractionem, nempè *abraſionem*, *abſterſionem*, præterfluentis nempe liquidi, inprimis ſolideſcentibus multis corpuſculis ſimul inſtructi, cujusmodi eſt ſanguis & ſerum. Jam verò, cum ita *ſubſiſtens*, imò *coagulatus* ſanguis, in corruptionem *præcipitem* propendeat, cui proinde nequaquam *otioſè*, ſed *vegetè* omninò adeoque *velociter*, ſubvenire, ſolida neceſſitas exigat, *proportionatum* utique huic circumſtantiæ, verè *moralis æſtimationis*, eſſe convenit *diſſolutorii* illius appulſus ſanguinis gradum. Obtinetur hic in ſimplicibus Inflammationibus, per *Directionem Hydraulicis* Legibus conformem: ut nempe etiam circà ipſam viciniam *arctatis* aliquam multis meatibus, manente interim *impulſus* priſtina æqualitate,

 vege-

vegetior, adeoque rigidior fluxus contingat per illas partes, quæ *ϛάσιν* inflammatoriam immediatè complectuntur.

§. XXV.

Quemadmodum autem hoc in externis partibus corporis eò commodius ſuccedere poteſt, quantò laxiore poroſitate, & inſuper *majoribus vaſis*, præcipuè verò *Tonico Motu* maximè vegeto inſtructæ eædem exiſtunt: ita in hoc ipſo genere diverſimodè ſe habent conſtitutiones *internarum*, præter *Pulmones*, partium; utpote quæ, imprimis *Hepar*, quin etiam *inteſtina*, manifeſtò parvis in proportione, imprimis ſub illâ incomprehenſibilis numeroſitatis exilisſima diſtributione, arteriis, adeoque debili in hoc genere impulſu, inſtructæ ſunt.

§. XXVI.

Quemadmodum autem totum hoc negotium *diſcuſſionis*, non per *ſimplices mechanicos* ſucceſſus procedere poteſt, ſed potiùs per *organicas directiones*, ſimplici tali *mechanicæ* conſtitutioni revera *contrarias*: ita tantò magis prudenter intelligenda atque æſtimanda venit univerſa harum rerum ratio. Quod autem hoc verè ita ſe habeat, motus inquam ille, qui *diſſolutioni ϛάσεως inflammatoriæ*, per *abſterſionem*, *â tranſitu reliqui ſanguinis auctiore atq; rigidiore*, obtingit, ſimplici *mechanicæ* conſtitutioni *ϛάσεως* ipſius inflam̃atoriæ revera *contrarius ſit*, ita probo: „in Meatibus pluribus, per com̃unem laxiorem aditum inter ſe „conſpirantibus, obſtructis aliquibus, *manente* tamen interim „perpetuò *æquali* priſtino *impulſus* gradu, fit proportionatè *au*„*ctior* progreſſus per *conjugatos* illos meatus, ut ita in illos repar„titione quadam *diſtribuatur* illa quantitas, quæ ſimplici progres„ſu aliàs per meatus illos etiam, qui nunc obſtructi ſunt, aliàs „progredi ſolebat. Adeoq; ab illa obſtructione, quæ per hujus„modi *ϛάσιν* fieri intelligitur, & redundatio, fortioris motus „ſanguinis, & quidcunque tandem illius effectus, minimè in „ipſam partem ſtaſi *obſtructam*, ſed certè *in univerſas circumja*„*centes conjugatas* redundare deberet: adeoque in illis maxi„mè *calor auctior* ſentiri. Cum autem in ipſa potius *parte affe*„*cta*, & major *inflatio*, & ſpecialiſſimus ille *auctior calor*, ſentian-

tiantur, non verò pariter in *circumjacentibus* partibus: ad„ ſenſum inde utique manifeſtum eſt verè *contrarium* ita fieri„ illarum rerum, quæ *ſimplicem* & verè *directum mechaniſmum*„ ςάσεως illius proprium & immanentem conſequi deberent.„ Adeoque tantò magis utique *contrarius* eſt ille Actus & Effectus *Mechanico-Organicus*, quando penitus *oppoſita ratione*, potius per *ſtricturam* harum partium circumjacentium, quæ juxta ſimplicem *Mechaniſmum* dilatari deberent, ſanguis, qui ab illa obſtructione ſimpliciter ad illas, (præcipuè ita etiam vix ſenſibili augmento in *ſingulas* quaslibet,) redundare deberet, potiùs abſolutè *oppoſitâ* Methodo ad illam ipſam particulam quæ aliquâ obſtipatione laborat, etiam ita copiosè compellitur, atque congeritur, ut illa inde primò omnium inſigniter non ſolùm *infletur*, ſed etiam *rigida* planè *diſtenſione* hinc afficiatur. Ubi certè non poteſt ſine juſtiſſimo metu jocoſæ penitus interpretationis, audiri illa ſummè intempeſtiva allegatio *irritationum*, ab hujusmodi *leviſſima* redundantia in reliquas partes in iisdem coorientium; quæ harum partium *ſpaſmos* poſt ſe trahant, imò provocent. Ut enim nihil dicamus de *libera* illa redundantia, quæ utique ab hujusmodi *ſpaſmis* in reliquum *univerſum* corpus liberrimè pateret, ut inde *inflammatæ* particulæ, ne quidem poſſet, nedum deberet, ita privatiſſima *redundantia* evenire: certè contrarium hujus rei in craſſos ſenſus ingerunt exempla illa in omnia momenta obvia, plus quàm plerisque *inflammatoriis* ſtaſibus, & latiùs nimiò evenientis verè *obſtructoriæ compreſſionis*, quæ à *ſtricturis* veſtimentorum immoderatioribus, ab actu ſedendi ſuper *dura* ſcamna, ipſo etiam ſitu partis valdè tenſorio atque compreſſorio, ſecundum has imaginationes conſequi deberent. De qualibus rebus loqui, ſit tempus prodegiſſe & rationem proſtituiſſe.

§. XXVII.

Quemadmodum autem ita etiam *mechanica Proportio* poſtulare (*poſtulare* dico, non immediatè facere aut præſtare) videri poteſt, ut totus impulſus notabiliter augeatur, quando *ſtaſis* illa, quæ *diſcuti* debet, in talibus locis ſtabulatur, ad quæ

pauciores, aut *minores* utique arteriæ pertingunt: præterea etiam vegetus *Tonicus Motus* nihil adeò evidens ibi conferre aut conficere poſſit: niſi quod in hoc negotio exceptionem poſcere videantur *Pulmones:* ita manet nihilominus inconcuſſa, vera illa atque realis difficultas, quod ſub his omnibus rebus interim nullus *Phyſicus* aut *Mechanicus* Actus aut *Effectus* ſubſit, qui *proportiones* illas ita ſuppleat, quæ Phyſico-Mechanicis his Defectibus tum *Materiarum*, tum *viarum*, conſulant atque ſatisfaciant.

§. XXVIII.

Utique enim, ut rem quàm ſimpliciſſimè conſideremus, ſi *ſtaſis* ejusmodi ſanguinis, in aliqua tali parte ſive *externa*, ſive eò magis interna (utpote minùs ſenſibili quàm externæ) coorta ſit; eaque omninò in corruptionem non ſolùm ſui ipſius, ſed etiam portionis *ſolidæ* quàm inſidet, imò verò etiam *contiguarum* partium, quin ſenſim totius corporis, neceſſariò procedat, ſi ita ſimpliciter ſibi relicta Phyſico-mechanicè pergat: quod cum nulla *ratione Phyſico-mechanica* aliter fiat, neque fieri poſſit, fieret neceſſariò ita nti fieri poteſt, &, (ut eſt in ſuppoſitis, & Phyſico-mechanica harum rerum veritate,) etiam ex hac ſua propria indole potius *non poſſet non fieri.* Adeoque ne quidem *Inflammatio*, nedum *Febris*, ſed ſimpliciter *Sphacelus* ſequeretur.

§. XXIX.

Quando verò hæc corruptio, non ſolùm illius partis, ſed etiam univerſi corporis, non ita ſibi relinqui, ſed potius, ne corpus ita corrumpatur, præoccupari debet, tunc utique opus eſt alia peculiari inſtructione plane diverſorum actuum, & ſpecialiſſimè *Organicorum* Motuum; qui non ſolùm *inſtituantur*, ſed etiam ſummè *proportionata moderatione* diu continuentur, ut ita vel *diſcuſſio* exoptata, vel longè circumſpectius tractanda *ſuppuratio*, abſolvatur: nec ibi, nimium præcipiti commotione, *Gangræna*, , neque hic nimio *neglectu*, vel etiam ipsâ *Gangræna*, *Sphacelus*, excitetur.

§. XXX.

§. XXX.

Quemadmodum autem ita etiam ſimplex *actus* ordinati *ſalutaris Inflammatorii* Motus, (ad *diſcuſſionem* aut *Suppurationem*) nulla Phyſico-mechanica conſequentia, ſed moralibus atque *finalibus reſpectibus*, demum ſubſequitur: ita tantò minus talis *actus*, qui ſolùm *intenſionem* majorem ſimplicioris *Inflammatorii, Diſcuſſorii*, & *Suppuratoriorum* Apoſpasmatum *eliſorii* Negotii, apparat, directè ab iſtis *materialibus* conſtitutionibus pendere poterit, nempe ipſa talis FEBRIS.

§. XXXI.

Ex his quidem Circumſtantiis uti facilè diluceſcere poſſe confido, quo intuitu hæ *Febres* ita hiſce Affectibus *accedere* atque ſupervenire poſſint; nempe ſimpliciter illo demum intuitu, illo inquam *reſpectu*, illo *fine*, ut ſive ſimpliciter *diſcuſſoria*, ſive ſuppurationis *moderatoria*, *majore commotione* ſangvinis, inevitabile aliàs damnum Mortis, (per certò & infallibiliter ſucceſſurum *ſphacelum*,) primo affectæ partis, mox autem univerſi Corporis, hac ratione vere præoccupando caveatur; Ita tanto evidentior etiam hinc eſſe poteſt *aptitudo*, bonam partem *mechanica*, hujusmodi *actus*, dico *Febrilis motus*, ad hunc *effectum*. In quo tamen omni modo conſideranda probe venit ſimplicior illa atque evidentior veluti *impotentia*, per hunc etiam actum quidquam ampliùs, quam ſimplex *receptivitas Materiæ* admittat, perpetrandi: ut adeò fruſtrà profecto hinc aliud quidquam, *determinato temporis* inprimis *ambitu*, perficiendum expectare liceat, quàm *Materia* & *Quantitas*, & *Qualitas*, & *Proportio* ad *loca*, tàm quæ occupat, quam quæ ut *vias* ſubire atque ſequi deberet, ita admittere poſſit.

§. XXXII.

Unde quidem ex his tantò manifeſtius intellectui diluceſcere poteſt, quid in talibus rebus ſperare integrum fuerit, de illis, ſine omni ratione atque conſideratione, & verè craſſa Minerva, venditatis *Febrium* hujus cenſus, *veris* CRISIBUS: STATIS inquam, inprimis autem *acutis*, *expulſoriis ad exteriora* loca corporis, energiis: Cum ejusmodi Effectus nunquam niſi ſimpliciter

 ter

ter veluti à bonâ fortunâ expectari poſſint. Nempe ſi talis *Febris* in talem *Materiam* incidat, quæ talibus *Motibus* diſcuti adhuc idonea ſit; extra quem Caſum nihil unum *ſtabile*, ne dum quoquo intuitu *perpetuum*, *à* talibus aut *in* talibus conſtitutionibus ſperare ſit integrum. Unde quidem alieniſſimum ſit, in rebus ita conſtitutis ullam certam atque directam ſpem in hujusmodi eventibus collocare; imò illos ſibi tanquam Cynoſuram aliquam, verè ſervandam, imò inſectandam, proponere: ſed unicè incommodiores potiùs aliquos ſucceſſus ac eventus inde metuere, & eò ſolertiùs, ne qualicunque imprudentia talibus damnis occaſio potiùs præbeatur, cavére.

§. XXXIII.

Huic ipſi conſiderationi, quomodo tales *Febres Secundariæ*, unicè & ſimpliciter ſuperveniant, illis *primariis* Affectibus, nullâ usquam vera *phyſica* aut *mechanica*, ſed ſimpliciter *finali* ratione atque *reſpectu*, eo inquam *fine*, ut mediante tali *motu*, *ſtaſis* ſemel facta iterum diſſipetur atque diſtrahatur; jure meritoque maximo utique ſuccedit proxime conſideratio illa, cui *quartum* locum aſſignavimus, nempe: *Cujus propriè indolis ſint illæ Febres*, quæ hujusmodi aliis affectibus ita *adjunguntur*. Ubi nempe primo omnium, ſecundùm vera illa ſumma genera *acutarum*, & *Chronicarum*, Febrium, maximè utique dignum eſt conſideratu, quod *Secundariæ* illæ Febres, ex *utrolibet* harum cenſu contingant. Cum autem *Chronicarum* etiam aliæ *continuæ* ſint, aliæ *Intermittentes*; ſicuti *acutæ*, verè tales, ſimpliciter *continuæ*, nunquàm verè *intermittentes*: quin eo ipſo etiam licet *chronicæ continuæ*, tamen ſemper *acuto* genio propriores: ita hæ etiam verè *ſecundariæ* Febres, *continuæ Chronicæ* quoque, ſeu generaliore acceptione *Lentæ*, facile tamen ad *acutum* etiam Schema inclinant.

§. XXXIV.

Sicut autem vera ratio univerſæ *Indolis Febrium*, propriè fundatur in nulla alia re phyſica, ſed ſimpliciter in earundem *objecto*, *deſtinatione ad finem*, & directâ *proportione* qualem ille exigit; ut, ubi periculum graviſſimæ, imò funeſtæ noxæ, eſt velocis progreſſus, ibi & univerſa proportio *commotionis febrilis*, & ita

etiam

etiam *periodus* ejuſdem ultima, totus inquam ejus *ambitus*, ſecundùm illam *proportionem* ita inſtruatur, ut *proportionato parvo tempore* multum præſtetur & abſolvatnr: Ita utique abſolutè par hujus *proportionis obſervatio*, *commenſuratio*, atque *executio* ipſa, valet atque viget etiam in illa ſubordinatione, ubi tales *Febres* nocumentis, â peculiaribus atque particularibus partibus oriundis, ita æquandæ veniunt, ut ſua Conſervatoria atque liberatoria actione, reſpondeant *proportioni* energiæ illius nocumenti, quod in iſtis partibus gliſcit.

§. XXXV.

Sunt itaque *Acuti ſchematis*, non ſolùm *Periodo* ſeu toto *ambitu*, ſed etiam ipſo *ſucceſſu*, illæ Febres, quæ veris *Inflammationibus*, inprimis *internis*, *accedunt*. Et hoc certè omni jure, dico vera *finali* neceſſitate. Cum enim ſtaſes Inflammatoriæ *in Viſceribus*, ejus ſint Indolis, ut, niſi *diſcutiantur* omnino, vel in *ſphacelum*, præcipitis *lethalis* effectus; vel ad minimum in *ſuppurationem*, propter exitum impeditiſſimum, & reparationem conſolidatoriam, (in *Viſceribus tubuloſiſſimis, & perpetuo ſecretorio uſui indeſinenter addictis*,) pariter velut abſolutè impoſſibilem, ipſam quoq; ſatis maturè *funeſti* eventûs, præcipiti lapſu ferantur: & horum eventuum *breve* omnino ſit tempus; quandoquidem *inflammatoria* ſtaſis, largior inprimis, in partibus tubuloſis atque mollibus, vix unquam *quartum* diem præterierit, quin *ſuppuraſcere* incipiat, aut plane *putreſcere*: Neceſſe propterea utique eſt, ut quicquid tandem ad hanc ita unice *neceſſariam* diſſolutionem ſeu *diſcuſſionem* facere poteſt atque debet, etiam ita inſtruatur, ut hujusmodi *proportioni* reſpondeat, nempe brevi tempore deſideratum illum neceſſarium effectum abſolvere valeat.

§. XXXVI.

Ex adverſo verò in *Ulceroſis interioribus* Affectibus, leniter atque ſegniter progredientibus; imò potius diu in eodem *ſtatu* manentibus, inprimis nondum actualibus *commotionibus* ulceroſis, ſed propriis ſolum ad illas diſpoſitionibus *nodoſis*, ubi nulla alia re opus eſt eximiè, quam præcautione atque *præoccupatione* ſolum, ne loco *Ulceroſo-ſeroſa* ſive collectionis ſive corruptionis,

nis, *Sangvinea* largior admixtio aut acceſſio, *inflammatoriæ* indolis introductione, repentinæ *graſſationis ſuppuratoriæ*, aut Corruptionis *ſphaceloſæ* impetum inferat: ibi *lenta* pariter, quantumlibet utique *aſſidua*, hujusmodi commotio *diſcuſſoria præoccupando* ſatisfacere utique poteſt: quæ interim citò & præſentiſſimè exacerbatur, in longe *acutius* Schema, quando qualiscunque occaſio præbetur, qualis etiam alibi in Corpore ſimplicioribus *Ulceribus*, *ardores*, aut penitus *Inflammationes*, conciliare valet atque ſolet.

§. XXXVII.

Non multum diſpar ratio occurrit ita etiam in illis Febrilibus *levioribus* motibus, qui verius familiariter accedunt *Arthritico-Podagricis* affectibus; cum enim ibi ſaltem *ſpaſticæ* commotiones atque *ſtricturæ*, ſangvinem circa certas Corporis regiones ſtringentes, in opere ſint, â quibus fortè ſtaſis aliqua talis *inflammatoria ſequi* poſſet; commovetur propterea leviore augmento Sangvis etiam univerſim, ut ita *præoccupentur* ſtaſium ejusmodi eventus. Quando verò *motus* inprimis illi, *motus* inquam magis, quam *Materiæ* ſpecialiſſimæ, in his locis, *citò*, aut *ſæpè*, aut *Conſtantiùs* diſſipantur; & loco intentionum illarum atque moliminum, juxta *Hippocratem*, HÆMORRHOICORUM circa *exteriores* partes Corporis, ſimilium conaminum *repulſio ad interiora* concitatur; conſequuntur inde omnino, in magis *Sangvineis*, non raro etiam veræ & *reſtagnationes* ſangvineæ circà viſcera, & ad has etiam *acceſſoriæ* illæ *Febres: Acutioris* omnino tunc ſchematis, non propter ARTHRITIDEM aut *Podagram* ſimpliciter, neque propter illas quà tales, etiam *retrocedentes*: ſed propter *effectus* illius retroceſſionis, ante omuia *Inflammatorios*. Nam in illis quibus lenius atque *ſegniùs* obtingunt, hæ *retroceſſiones*, etiam tumores *œdematoſos* & *Hydropicos* fieri (quamvis ibi etiam familiariter cum *Hectica* complicatione,) Practicis non ignotum eſt.

§. XXXVIII.

Interim quicquid etiam vere *acuti Schematis* in hujusmodi Febribus occurrat, nimium quam prudenter advertendus eſt animus, ad diſtinctionem certiſſimè ſolidè practicam in Febrium

brium negotio, inter Febres *ſchematis acuti*, & *typi acuti*. *Schema* quidem acutum ſervant utique etiam hæ *acceſſoriæ* Febres; *Typum* neque ſervant, neque vero poſſunt ſervare: cum nempe Materiæ *Qualitas* non ſit in poteſtate ſimplicis commotionis; i. e. ſi vel maxime *motus* adhibeatur, inprimis generalior talis atque ſimplicior, ſanguinis paulo *auctior*, proptereà minimè ſtatim ſequatur Materiæ *male diſpoſitæ obſequium*, & proinde ſolidus *effectus motus*, qualis *actu* motionis *tentatus* fuerat: imò verò in hoc genere Motu ipſo demum *diſponendi Materiam* ut obſequatur, tandem continuato impulſu, ab omni ſana ratione alienum ſit, hos effectus *una* tali certa, & ad *varias* Materiæ Quantitates atque Qualitates *uniformiter* habili *Menſura*, adeoque *Typo*, circumſcribere. Quæ res profecto niſi plane ſtupidum, neminem fallere poteſt.

§. XXXIX.

Unde quidem præcipua *Indoles* harum Febrium *Secundariarum* eſt, ut *Typum exquiſitum nullum* forment, & inprimis non *ſervent*, quantumlibet quaſi *typicè* invadere incipiant. Habet autem hæc circumſtantia eximium penitus uſum in *Praxi* harum Febrium, primò quidem in *Diagnoſi*, deinde etiam in *Prognoſi*, quin tandem in *Cautionibus* quibusdam Therapevticis.

§. XL.

Primò enim, Febres tales, quæ cum evidentiore *aliquo typo* non ſolum invadunt, ſed etiam progrediuntur, vel non ſunt *Inflammatoriæ*, vel *benigniores* ſunt, minus formidabiles. *Secundò*, quo magis typum *tranquille* ſervant, eo minoris in *Prognoſi* ſunt periculi, uti contra ſe habentes, certiſſimi non ſolum, ſed etiam eximii. *Tertiò*, quando ipſa *Natura* nullius *determinatæ commotionis* opportunitatem inveniens, nihil horum vel facit vel perficit, conſiderandum tanto prudentius eſt Medico, quid in ſua *arte* poſitum ſit, ſive ad *ſubtractionem* aliquam tempeſtivam hujusmodi Materiæ, ſive ad *præparationem* ejus, ut obedientior fiat etiam ipſius Naturæ commotionibus.

§. XLI.

Interim uti Febris *acuta Typo* exquiſitius inhærens, minus

D peri-

periculum *internæ* illius cauſæ ſuæ indicare ſolet, ſi nempe verè ordinatius atque tranquillius ſuccedat; ita alterius genii eſt illa conſtitutio, quando Febris ejusmodi *valde acuto typo* quomodocunque repræſentato, ſimul *ferociter* & æſtuando, & augendo urget. In tali enim conſtitutione ſi quid etiam intra certos *ambitus* perpetrare appareat, communiter *imperfectum* illud eſt: Complectens nimirum vel ſimpliciter *apoſpaſmata* ſolum aliqua totius illius *Materiæ* quæ *præcipuum* negotium faceſſit, ut adeo minime exhauſto *fundo* Mali, hæc ipſa etiam rejectamenta ſint irrita: aut ſi quid etiam, inprimis *maturius* ita excuſſerit, excepto ſolo caſu *ſimplicioris Eryſipelatis*, reliqua univerſa nihilo utique minus *incerta* adhuc ſunt, excuſſio hæc ipſa *inconſtans*, & ad *relapſum* præceps adeoque etiam leviſſimis ὑπεροράμασι promptiſſime iterum *retroagenda*, cum certiſſimo ſummo periculo, imò vero communiſſime *damno* vitæ.

§. XLII.

Altera pars *Indolis* harum Febrium, inprimis autem earum, quæ ita *acutiorem typum*, aut *ſchema* qualecunque ejusmodi, præ ſe ferunt, ad minimum imputatione ſolenniſſima ſcholarum Medicarum, eſt MALIGNITAS. Quam cum quam maxime *ſymptomatum* inſolita *ferocia*, & *virium* gravi *jactura*, & *anxio* inprimis ægri geſtu, & *inexpectatis* planè *deliriis*, imò *Convulſionibus*, quaſi delineare atque pingere ſoleant; nihil certe melius facerent, quam ut legerent, antè oculos haberent, imò memori mente tenerent, quæ ipſis ad demonſtrandas hujusmodi malignorum affectuum authores materiales veras cauſas, paucis, ſed diſertis verbis jam pridem *præſcripſit Hippocrates, lib. de priſca Medicina* ita loquens: *Si Amaror quidam* ἀποχυθῇ (non *in humoribus ferociat*, ſed *ſeorſim*) *effuſus* hæreat, *quam flavam bilem appellamus, quales inquietudines & jactationes*, & καῦμα *urens æſtus*, & *virium* ἀδυναμία, κατέχουσι, *occupant, obſident, tenent, continent* atque *detinent*: - - - - quibus etiam προσίστανται *inſtant, præſentes adſtant, inſiſtunt*, ὀξύτητες *acuti acores* δριμειαί τε καὶ ἰώδεες, *acres* æque *ac æruginoſi*, quales his *rabies*, & *viſcerum lancinationes atque Thoracis*, & *anxietates* eveniunt.

§. XLIII.

§. XLIII.

Equibus nempe rebus colligere certè conveniebat, has *Malignitatis* malitias, quas vulgus Medicorum ita *Febribus* ejusmodi, *tanquam febribus* tribuit, non ab *illis* pendere, ſed ab iſtis partibus, quas hæc ἀποχυθέντα, in illas *affuſa* peſſima *rejectamenta*, ita προσίςαντα, *inhærentia*, *inſiſtentia*, κατέχουσι, *tenent* atque *occupatas* & *obſeſſas* habent.

§. XLIV.

Unde etiam omnino *Malignarum* Febrium, *Febrium* inquam, diverſisſimus in eo eſt genius; quod nunquam *vehementi impetu*, *rabie*, *ſummè anxia* inquietudine, & καύμασιν, *urentibus & ardentibus æſtibus*, ſeſe exerant: ſed ſimpliciter *trepidâ* quadam *virium*, *omiſſione* magis, quam *amiſſione*: dum nempe Materia illa, circà quam tales *Febres* occupantur, re vera eſt ejus *conſiſtentiæ*, ut *impetuoſis motibus* non poſſit benè cedere: Interim ejus *activitatis*, ut niſi utique moveatur, & quidem *tam aſſiduè*, quam *circumſpectiſſime* & *convenientiſſimè*, damna utique inferat quovis modo inſuperabilia: Unde *placidè* atque *tranquille*, (minime *impetuosè* aut *ferociter* exagitanda) *aſſiduè* interim, *continuè*, maximè *proportionatè*, tàm ratione *progreſſus* quàm *exitus*, movenda eſt. Cui negotio & *vigilantia* intenta maxime convenit, & *ſollicitudo* meticuloſa, (quomodo adhuc cedere poſſint omnes hi apparatus, & an utiq; ſatisfacturi ſint?) certè non minimè convenit.

§. XLV.

Sicut autem hæ ſunt generaliores *Indoles* hujusmodi ferociorum Affectuum, quibus *ſecundariæ* Febres accedunt; & *Febrium* harum quæ talibus *accedunt*: ita de *ſpecialiore* harum Febrium Indole, â qua ipſis vulgò quaſi *typus* quidam imputatur, pauca adhuc dicenda veniunt. Prudentiores propiorum temporum Practici, diſertè enunciando rem ipſam, rectè nominant Febres has INFLAMMATORIAS. Hi nempe ab ipſa re deſumta etiam appellatione. Qui rem neque in ſe intelligunt, nec aliorum, imò ipſorum antiquorum, quin primicerii *Hippocratis* præmonſtrationibus, aurem præbere, imò potius

animum ſubmittere, valent, *prætexentes* undique ſimpliciter & abſolute ſolum *Hippocratem*, quem tamen minime intelligunt circà has res, malunt *Vocabulis* Hippocraticis ſimplici ſono inhærere, quam vel ſolum *grammaticam* illorum ſignificationem admittere, ne dum verum illorum *ſenſum* ex ipſo *Hippocrate* quærere, aut ab aliis præmonſtratum diſcere aut agnoſcere.

§. XLVI.

Enim verò *Hippocrates*, ut nusquam *ſyſtematicam* Methodum preſſe ſecutus eſt, ita in hac etiam parte illā non uſurpavit, ut Febres ſecundum *veras ſpecies*, ſemper & conſtanter, ſive *nominaret*, ſive *deſcriberet*. Interim minimè etiam ita rarò prorſus, ſervavit tamen *nomenclaturas* quoque, ſibi magis ſpecifico uſu, ut Vocis etiam ſignificatione peculiari, familiares. Habet autem in uſu *tria* cumprimis nomina Febrium, *acutarum* præcipuè; 1) πυρετὸς, πῦρ. 2) ὀξέες, ὀξέα νȣσήματα: 3) καῦσος. *Primo* vocabulo, tùm *generalius* & latiore ſignificatu utitur; ita, ut tum alias, inprimis *acutas*: tum etiam *ſpecialius* tales: interim etiam vel *generaliſſimè*, quoslibet *motus Febriles* & *concaleſcentias internas*, hac appellatione comprehendat. *Secundum* nomen equidem *acutis* propriè adhibet: interim cum etiam *acutarum*, diverſæ ſint ſpecies, præſto eſt apud ipſum diſtinctio τῶν λίην ὀξέων, *valde* acutarum à *ſimplicius* talibus. *Tertium* autem vocabulum, communiſſimè ſub *ſpecilaiore* acceptione vere *ſpecialioris* etiam Fèbris, uſurpare obſervatur, de *ſpecialiſſimâ* etiam Latinis juſtis interpretibus agnitâ *ſpecie*, ARDENTE proinde dicta. Sicut autem revera aliquando etiam ipſius καύσȣ nomen uſurpat, de talibus rebus, quæ etiam non *ſtrictiſſimi* ſenſus *Cauſo* unicè competant: ſicuti contrà etiam generalius τῶν ὀξέων nomen alicubi applicat, ubi reverà *ſpecialiſſimè Cauſi* nomē convenientius fuiſſe forte videri poſſet: ita memoranda tamen omnino atque commendanda prorſus eſt *Hippocratis* etiam in hac ſpecie paſſim adhuc conſpicua *circumſpectio*, ut hic illic etiam non ſimpliciter & abſolutè *ſpecificè* CAUSUM ipſum nominare, & ipſi ea quæ ibi dicit ſimpliciter aſſignare acquieſcat,

ſcat, ſed ut ſuam circumſpectionem adhibeat, & aliis ſimilem præmonſtret, adhibito vocabulo, καυσῶδες.

§. XLVII.

Quamvis verò noſtra intentio minime ſit, *Hippocrati* ſupparaſitari; quemadmodum etiam apud omnes Ethicos pro conſtanti habetur, quod *adulatio non tantum ei qui facit, ſed nec ipſi cui fit honeſta* ſit: Tantum abeſt, ut *Hippocrati* pertinaciter vindicare atque aſſerere velimus ſolidisſimam ἀκρίβειαν etiam circà veram ſpecialisſimam *notitiam* differentiæ Febrium: Ita tamen etiam minime aggregari placet illorum turbæ, qui, quæ *Hippocrates* non exquiſitisſime dixiſſe videri poteſt, ut in ſuas res trahere poſſint, etiam ulterius *confundunt*, & *Hippocratem* ejusmodi intemperiarum ſocium, imò Autorem allegare non erubeſcunt. Ut nempe *confuſionibus* illis obruantur, tanquam *nominalibus*, malè ſuæ res graviores *reales*, quarum nusquam ſincere *Hippocrates* Autor, ne dum ſvaſor eſt, ipſi verò & Architecti, & ſimul fabri eſſe ſentiuntur.

§. XLVIII.

Καῦσος certè *Hippocratis*, ut ἀπὸ τȣ̃ καίειν dicitur, ita eximie omnino attendi meretur etiam uſus ſororiæ vocis, καύματος apud eundem Hippocratem. Hujus, ut in allegato textu *de priſca Medicina*, ubi de *Bilis effuſæ* effectibus prolixius loquitur, non tam verbis, quam rerum deſignatione, præcipuam mentionem facit, & illam quidem inſuper etiam ita veracem, ut in ejusmodi *cauſticos* effectus verisſimè quadrent ea, quæ etiam alibi pasſim de καύσοις καὶ καυσώδεσιν affert: Eluceſcit certè hinc liquidò, non ſolùm *ſolennior*, & verè *ſtrictioris* ſenſus acceptio, pasſim hoc ipſo ſenſu etiam apud *Hippocratem* ita uſurpatorum horum nominum: Sed ſuppetit hinc etiam veluti cynoſura quædam, ſecundùm quam æſtimari debeant etiam illa alia *Hippocratis* loca, in quibus talia *nomina* uſurpans, interim res profert, quæ magna *diſcretione* egeant, an verè ad ſtrictisſimæ acceptionis καῦσον referri debeant.

§. XLIX.

Ut res non magis ex ipſo *Hippocrate*, quàm etiam è verâ, imò

imò verò conſpicuâ atque luculentâ Experientia, expediatur, quamvis etiam ab aliis cauſis *Inflammatoriæ* Febres oriantur; ſeu potius *Inflammationes* internarum Partium, quæ poſthac Febres adſciſcant: & notiſſima tamen, & familiariſſima eſt, illa *duplex* ſpecies, quæ vel à craſſiore manifeſtò *bilioſa ſaburra*, circà *intimas primas vias*, cooritur; vel à *teneriore* ſubſtantia *Hippocrati* utique ipſi, tantò magis autem poſteris ejus, *Bilioſa* dicta, originem ſuam trahens, ad *extimas* corporis partes ejicienda, niſi hoc fiat, graviſſimarum periclitationum etiam ipſius vitæ, autor eſt. Prior illa *Cholera* dicta, (quicquid etiam *Trallianus* in vocabulo antiquo argutari laboret,) vel famoſiore ſenſu à *Bile* dicta, vel certè à nullâ re intra corpus gignenda, certius æquè atque gravius tumultuatur, quàm à *Bilioſis* corruptelis. Altera eſt, quæcunque tandem de reliquo fingatur aut ſupponatur *materialiter* dicenda aut habenda eſſe, ſubſtantia illa, quæ *Eryſipelas* corpori inducit.

§. L.

Harum *duarum* rerum, & ab illis proficiſcentium Effectuum, notandæ veniunt circumſtantiæ quædam, in quibus ita conſpirant, ut vel in illis *coincidant*, vel, non tam diverſa, ſed peculiariter *oppoſita* ratione ſeſe gerant. *Conveniunt* in eo, quod valde *ſæpe* atque familiariter occurrant; deinde, quod familiariter æquè ab *una eademque* cauſa occaſionali producantur, nempe *Iracundia*: tertiò, quod niſi ſatis expeditè æque atque tempeſtivè liberum exitum nanciſcantur, utræque *maximi periculi* inferendi compotes exiſtant. *Oppoſita* verò ratione inter ſe comparantur, quod *prior* illa ſubſtantia, neque *poſſit* facile, neque *debeat*, in Maſſam Humorum impelli; ſed potius mox vel *intus* in corpore *corrigi*, vel *ejici* per *interiora* Emunctoria: *Eryſipelacea* Materia verò prorsùs ex *oppoſito*, ſimpliciter *per Humores* ad *ſuperficiem* corporis expellenda veniat; contraria vero via in gravia *pericula*, imò vero irreparabilia *damna* patientes conjiciat.

§. LI.

Quemadmodum autem *Cholerica* illa Materia, peſſima *bilioſa*

lioſa, non faciliùs ex *Ira* cooritur, quàm ſi *Eſculenta* aut *Potulenta*, imprimis promptiùs *fermenteſcentia*, ſuperingeſta fuerint: vel etiam aliquando ex ipſis graviter *fermenteſcentibus*, imprimis *horæis* fructibus, & *mellitis ſuperbibendo* exagitatis: Ita manifeſtior etiam evadit Energiæ ejus ratio, dum verum illum *acrem Acorem* ὀξύτητα δριμεῖαν, ita induunt, quem *Hippocrates* allegato loco illis tribuit: *Cauſticam*, inquam, *aciditatem*, *dentes ſtupefacientem*, *Pelves æneas*, *Pavimenta*, *Linteamenta*, Pulveres *terreos*, ita *corrodentem*, ut cum his etiam *efferveſcat*, *Fauces* ſolo tranſitu *radentem*, *Inteſtinum rectum*, quin *orificium* ejus, *excoriantem*.

§. LII.

Ita nihilominus tota diſtincta adhuc eſt hæc talis materia, & manet etiam utique diſtincta, ab illo ſuo *Effectu*, quem in *Ventriculum*, *Pylorum*, *Duodenum*, imò reliqua *Inteſtina*, exſerit, niſi tempeſtivè ſubmoveatur. Quo utique intuitu facile intelligitur, quid ſibi velint Veteres, quando *Choleram* deſcribentes expreſsè memorant, quod ſit *vehemens ſurſum deorſum Excretio*, *ſine Febre*. Quantumlibet autem in hoc revera inanes argutias nectunt, quod Cholera tali etiam uno die, altero aut tertio, hominem interire poſſe aſſeverent; interim pro commonſtrandis talibus caſibus deinde allegant, vel planè Venena aſſumta, vel fortiſſima Purgantia, (vid. Foreſtus L.18.obſervat. 44.) cum utique abſonum ſit ſimplici *conatui* excernendi, aut *actui Excretionis* hic mortem imputare, quæ verius vel à venenata, *quà tali*, Energia, vel à Gangrænoſa Viſcerum inducta corruptione certius pendet. Nec usquàm etiam verum eſt, quod in ejusmodi affectibus, qualis e. g. eſt ejusdem Foreſti Lib. all. Obſ. 46. revera nulla Febris concurrerit, ſed in ſolidum abſuerit; confuſis utique *rigoribus* illis atque *horroribus*, quos tales graviſſimæ *Cholericæ* conſtitutiones inſeparabiles comites habent, cum levioribus illis, quæ aliàs urgenti vomendi conatui, & alvi fluxibus quibusdam, concurſare ſolent. Interim *incipientem*, aut aliàs *leviorem*, & à cauſa minus acerrima, *Choleram*, *Febre* adhuc carere, tàm certum eſt, quàm illud,

quod

quod eô tempore actualem inſignem *Inflammationem* materia illa nondum produxerit: Non tamen utique *Vomitui* aut *alvi incitationi*, nec *irritationibus* hujusmodi *ſimpliciter*, nec directè *materiæ* tali, *Febris* accedit, ſed *Inflammationi* his rebus ſupervenienti.

§. LIII.

Interim hoc ipſo utique prudentiſſimè diſtinguendi ſunt diverſi hi ſucceſſus, adeoque etiam *reſpectus Medici*, quid conveniat *Materiæ* tali magis *in ſe*, & *ante* illos effectus, quid vero etiam *liceat*, poſtquam effectus ille jam prævaluit? Ubi nempe profectò aliter, quàm ut ſimplicia volatica experimenta vaga, expendi debent, differentiæ illæ *corroſionum*, quæ *excusſiones* tales *Vomitorias & Catharticas* poſt ſe trahunt; aut quæ nullas tales proritant. *Prioris* Generis ſunt *ſeptica*, ſimplicius *texturam* Partium diſſolventia, ſine pari magna alteratione *Humorum. Poſterioris* Generis ſunt *Salina* corroſiva, quæ *Humores* ſimul inſigniter alterant.

§. LIV.

Quàm *cauſticò corroſivæ* verò indolis ita eſſe ſolet hæc talis, *Iracundiam* hinc inde ſectans Materia; craſſior etiam utique ſimul: adeoque neque hoc, nec iſto intuitu, vel *poſſit* facilè, vel *debeat*, tanquam ſecurè, ex his locis, in quibus primò ita naſcitur, in *univerſam Maſſam Humorum*, & ita etiam ad partes quaslibet *teneriores*, cùm *interni*, tum externi corporis, diffundi; Tantò magis, cum illis locis, quibus ita primò innidulatur, major pateat facilitas ad *Excusſionem totius* hujus Materiæ, *collectim*, & nihil adhuc diſſipatæ: Cum inprimis etiam facilius ſit, per hæc loca *diluentem* Aquoſitatem ſuffundere, quâ, Vehiculi inſtar, hæc Materia ita prolui poſſit: &c. Ita, ex adverſo, planè diverſæ indolis eſt illa *tenerior* portio, quæ *Eryſipelas* format. Hæc enim tantum abeſt, ut in *Interioribus* Corporis tolerari poſſit, citrà graviſſimum damnum, ut potius non ſolùm *ſponte* Naturæ, niſi quid obſtet, ad hæc exteriora loca ita *expellatur*: verùm etiam ſi ex illis iterum *repellatur*, circà *teneriora intimi* corporis Organa, ea utique perpetret, quæ nihil niſi *le-*

ſi *lethales corruptiones* perficiendo, inſanabiles & irrevocabiles ita evadant.

§. LV.

Conſideranda verò utique omninò eſt, *Materiæ* hujus indoles & energia, in ipſo etiam ſimplici *Eryſipelate*, in *externis* partibus jam ſedem ſuam nacto, ibique perſiſtente. Si tali in loco ita moderatiſſimo calore foveatur, ut ſolùm *refrigeſcere* non poſſit, adeoque neque *Exhalatio* impediri; neque per adverſum *ſenſum*, *repreſſoriæ* ſtricturæ occaſio præberi: neque contenta illa ſubſtantia, cum *inter- & ſubterfluentibus* reliquis adhuc *vividis Humoribus*, iterum commiſceri: Ita, inquam, illa tunc nuda *tenuiſſimarum* partium *exhalatione*, qualitercunque ſpiſſiorum autem, *κρῆσι*, (*κρᾶσι*,) *ſubactione* & *immixtione*, tacita atque tranquilla, cum reliquo ſanguine iterum diſtrahitur, adeoque vera *reſolutio* iterum portionis ejus quæ ita *ſubſtiterat*, ſequitur. Ex adverſo vero, ſi *divaporatio* illa temerè intercipiatur, *ulceratio* parti valde *maligna*, & vel *phagedænica*, vel penitus *ſphaceloſa* inde ſubnaſcitur corruptio.

§. LVI.

Jam ſi hæc materia, talem *progreſſum atque exitum* non aſſequens vel *ἐγκαταλείπεται* ſeu *relinquatur circa interiora*, vel, inprimis quando jam in illo ſuo *Excretorio motu* conſtituta eſt Natura, quin ubi jam modo *facta eſt* alicubi *Excretio*, *retroagatur*; quid quæſo hinc aliud expectare ſit integrum, quam effectus etiam *circà interiora Inflammatorios Eryſipelatodes*, omni antiquitati meritiſſimo utique jure *ſummi periculi* præſagio damnatos: Tanto manifeſtiore rationis conſenſu, cum illum exitum, quali *exterius* Eryſipelas *unicè ſalutariter*, (aliis autem omnibus modis ita *periculoſè*, ut tales, ſi circa *interiora* fiant, *abſolutè lethales* ſint) ſolvitur & mutatur, abſolute locum non inveniat, adeoque nihil poſſit aliud agere, quam tales ſolum eventus ſortiri, qui irrevocabiliter *funeſti* ſint.

§. LVII.

Jam autem quod attinet ad *utraslibet* haſce Febres, *Hippocrati* partim *καύσε* partim *καυσώδεων* nomine notatas, nusquam

quam autem utique tali perpetuâ *diſtinctione* atque *reali verarum* circumſtantiarum preſſa atque ſtricta deſcriptione notatas, quis, niſi è plane pecualiribus reſpectibus, malit, ne dum contendat, hæc talia potiùs *ſine debita diſcretione* ita relinqui, imò ſervari, ut ſemper jam hunc jam illum Textum καυσώδεων *Eryſipelaceorum*, cum καύσοις verè *bilioſis*, (*craſſa ſaburra*, in ipſis *primis Viis* hærente ſubnixis,) quando res ſua poſtulat, confundendi cauſa allegare poſſit: adeoque ſi, quod *craſſæ ſaburræ* debebatur, toti *contrariæ tenui Eryſipelaceæ* Materiæ applicatum ſit, nihilominùs confusè imo *contrariè adductis Hippocratis verbis*, fucum facere, veras autem non ſolum ex ipſa re, ſed ex ipſis inter ſe comparatis *Hippocratis* locis, harum rerum & acceptionum diſtinctiones damnare, & agnoſcere nolle.

§. LVIII.

Aliter certè neceſſe eſt cedere hòc negotium, cum ſecundùm quamlibet harum rerum conſiderationem, uti dictum, *contraria* penitus ſit ratio καυσώδεων verè, & conſpicue *Bilioſarum*, & ex adverſo ſolum *Eryſipelacearum* conſtitutionum; adeoque hoc intuitu abſolutè utique neceſſarium, ut quicquid de ipſis ita *diverſis rebus* usquam, & à quocunque tandem, quantum ad rem ipſam quidem verè, (*hiſtoricè*) quantum ad *ſpeciem* autem atque *diviſionem* rerum minus diſtincte traditum eſt, omni modo decentibus evolutionibus diſcernatur.

§. LIX.

Sicut autem ipſa rei veritas, juſtam *diſtinctionem* poſtulat Affectuum ita maximè differentium; quando pro *eminentiore* & verè *formali ratione* hujusmodi ſuæ *formalis diverſitatis*, quilibet ſeorſim conſiderantur: Ita ſubeſt tamen juſtiſſima adhuc contemplatio atque penſitatio illius *communis* inter ſe mutuo *Ortus*, quod uterque, tùm ab aliis fortè cauſis (quamvis illud magis de *verè bilioſa* indole, & inde naſcente *Cauſo*, valeat) tum inprimis ab *Iracundia*, cooriantur. *Communi*, inquam, ratione hoc faciant; ut non ſolùm *interna* illa *craſſius bilioſa*, ſed etiam *ſimplicius*, *tenuia*, illa *Eryſipelacea*, *extrorſum* tendentia, Pathemata hinc exoriantur. Neque vero hoc ſolùm, ſed etiam cer-

certius *Eryſipelacea* conſectaria, ab hujusmodi *Iracundis* Pathematibus fiant, veluti magis *genericè;* quæ per *aſſumtorum*, & reſiduæ fortè qualiscunque ab aſſumtis *ſaburræ*, concurſum, magis *ſpecificari* videri posſit, & ita reverà *cauſticam* illam conſiſtentiam ſubire, quæ (conſpicuis *gradibus*) *inflammatoriis Ardoribus*, graphicè deſcriptam ab *Hippocrate* (alleg. loco *de Priſca Medic.*) *indolem* verè abſolvat.

§. LX.

Hic propriè hæret Clavis illa, pro clauſo adhuc magis hucusque veluti verè *Cœnobio* (ubi *in commune degunt & agunt*) illorum Affectuum, qui ab *Hippocrate tribus* illis diverſis Nominibus paſſim, & nunquam ferè cum bono elogio, nominantur 1.) τῶν ὀξέων; 2.) τοῦ καύσου; 3.) τῶν καυσώδεων. Quemadmodum enim non malè, ſi benè intelligatur, *Hippocrates*, non ſolùm abſolutè τὰ ὀξέα, ſed etiam diſertè τὰ ὀξέα νουσήματα paſſim uſurpat, ſine additamento vocabuli *Febris:* ita certè ſatis intelligi poteſt, quod etiam non tam de *Febribus*, ſed *de eo*, quod *illas ita acutas reddit*, propriè loqui in animo habuerit. Vid. infrà §. antepenult. Conf. *de dieb. Iudic.* in fine.

§. LXI.

De *Cauſo* quidem res manifeſtior eſt, quod illum magis ἀπὸ τοῦ καύματος, illius, inquam, *urentis* affectus (*corroſivo-inflammantis*) ſenſu & effectu dicat atque ducat, quem alleg. illo loco *de priſcâ Med.* ita diſertisſimè τῇ ἀπόχυσι τῆς χολῆς ξανθῆς attribuit: ut adhuc graviora *acoribus acerrimis, ærugino ſis*, adſcribit.

§. LXII.

Ubi omninò cum omni animi adverſione legenda ſunt non magis, quàm intelligenda, aſſerta ipſius, quæ de his καύμασι τῆς χολῆς ξανθῆς profert; quod ab illis & *Dolores laborioſi* (πόνοι) & *Calores* (ἡ θέρμη) ab his pendeant. Neque hoc ſolum, ſed etiam manifeſta appellatione *Febres*, πυρετοί. Audiamus ipſum Text: *Si Amarities quædam effunditur* (*effuſa ſit*, ἀποχυθῇ,) *quam Bilem flavam appellamus*, *quales* ἆσαι, *Inquietudines, jactationes*, καὶ καῦμα, *urentes ardores*, καὶ ἀδυναμίαι, & *Virium*

rium defectus atque Impotentia, κατέχουσιν, occupant, tenent, habent atque *poſſident* (nempe Patientem.) Verùm *liberati ab hujusmodi, quandoque, & repurgati vel ſpontaneo motu, αὐτόματοι, vel à Pharmaco, ſi horum quid* IN TEMPORE OPPORTUNO *fiat, manifeſtò, καὶ τῶν πονῶν καὶ τῆς θερμῆς, tàm à doloribus, quàm à Caloribus, liberantur. Quamdiu autem hæc μετέωρα ſunt,* (minus commodè *Heurnius, mole turgida*, cum in *Meteoris* nihil minus quàm vera *moles*, ſed ſola *Virtus, expanſio* inquam & *Activitas*, in conſiderationem veniat,) *ſubtiliter expanſa & quaſi ſuſpenſa, καὶ ἄπεπτα, nondum concocta & qualitercunque incraſſata, καὶ ἄκρητα, nondum cum aliis rebus remixta, contemperata, & ſubacta, exiſtunt, nulla machinatione, neque dolores, τῶν πονῶν neque* NB. *τῶν πυρετῶν Febris*, inquam, *παύσεσθαι, ceſſabit, quieſcet, deſinet.*

§. LXIII.

Puto certè manifeſtas hic eſſe differentias τοῦ καύματος, τῆς ἄσης, τῆς ἀδυναμίας, τῶν πονῶν, & τῆς θερμῆς καὶ τῶν πυρετῶν. Quid enim alias attineret ad minimum τὸ καῦμα, τὴν θερμὴν, τοὺς πυρετοὺς ita *differentibus vocibus*, tàm loquaci eloquio, contra omnem *Hippocratis* morem, ita *repetitò, diverſis Nominibus* eandem rem, *ſi eadem eſſet*, nominare, & quidem in uno eodemque paragrapho? Unde utique potius longè evidentius eſt καῦμα, ut *directum effectum* illius χολῆς magis *immediatum, Hippocratem* ipſum quoque, uti reverà in ſe eſt, ita diverſum etiam quiddam à πυρετοῦ, à *Febre* ipſa, denotaſſe; aut ad minimum *Febrem* hac ipsâ ratione ita *ſpecialiſſimè determinaviſſe*, ut propriè καῦμα hoc verè *inflammatorium* illum *ardorem* denotaret, aut ſanè *reſpiceret: additamentum* autem illud τοῦ πυρετοῦ, ita *Generis* rationem haberet, ut *Febrem Inflammatoriam* hoc ipſo abſolveret.

§. LXIV.

Interim, uti ferè implicata ſubinde eſt exquiſita *Dignotio*, an verè ab hujusmodi *bilioſa ἀπόχυσι* occurrens talis affectus, τῆς θερμῆς καὶ τοῦ πυρετοῦ particeps, dependeat; ita ſtolidum certè foret pro piaculo imputare, ſi quis etiam dubitet, an ipſi *Hippocrati* ita *infallibiliter* abſolutè, non ſolùm *cognita*, ſed etiam *perſpecta* fuerit, vera illa in ipſis Effectibus *Differentia*, qua *Cauſus*

ſtri-

ſtrictiſſimè dictus pendeat unicè â tali *καύματος*, quod à *Bilis ἀπόχυσι* naſcitur: an verò etiam de tali Febre, quæ *tenuiorem Eryſipelaceam Materiam*, inprimis circa *interiora* obhærentem, comitari ſolet. *Leipyriam* certè, quam alii potius *Eryſipelaceæ καῦσι* tribuunt, *Cholera* ſolvi, *& non aliter*, diſertè aſſerit *Coac. Præn. C. 3. t. 15.*

§. LXV.

Ne verò ita ſimpliciter in dubio relinquamus hoc dubium, ſed potius os obturemus illis, qui *Hippocratis* Omniſcientiam vel præteriiſſe ſolùm, pro ſacrilegio inclamant, certè ipſa illa juſta conſideratio, quam anteà produximus, ſatis demonſtrat, quod *Hippocrates* etiam *Eryſipelaceis* Affectibus paſſim *καύσε* Nomen *impertiatur.*

§. LXVI.

Impertiatur, inquam. Dico illos etiam *Cauſos* nominet atque commemoret, qui non *καύματα* â *flava Bile*, *tempeſtivâ καθάρσεος αὐτομάτε, ἢ ὑπὸ φαρμακείας ἐν καιρῷ* ſuperanda comitentur: ſed etiam *extrorſum* protrudant *inflammatorias ſtaſes*, à ſimplici *ſuppuratorio - abſceſſoria* Indole alieniores: ſed eo ipſo *Eryſipelatodi* genio, per *ſucceſſivam reſolutionem* atque *diſcuſſionem* exſpiranti, verius geminas. Dico autem SUCCESSIVAS; licet enim etiam *Eryſipelas* ſincerè utique non niſi *ſucceſſivè*, *ſine Suppuratoria* Corruptela *ἐκχύῃ*, & ſi intempeſtivè *retrò* labatur, graviſſima *καυσώδεα ὀξέα νεσήματα*, familiariter *funeſta*, formet atque progignat: Certiſſimum tamen, & nemini peritorum Practicorum ignotum eſt, quod iſtæ *Expulſiones*, quæ per *ἀποςάσες τῶν καυσώδεων* formantur, ut omni modo *Eryſipelate* ſimplici *pejores* ſunt, ita peſſimum illum morem etiam in eo ſingulariter exhibeant, ut ad *Relapſum ad interiora* quàm maximè pronæ ſint: non ſolùm *per initia* poſtquam exierunt, ſed etiam quando jam diutiùs ita ſubſtiterunt, interim nullam *matureſcendi* ſpeciem præ ſe ferunt. Imprimis autem ſicubi in illo Patiente in quo hujusmodi *Extruſio* facta comparet, reliqua conſtitutio Febrilis nondum exquiſitius atque conſtantiùs ſublevata, etiam *interni* adhuc *fomitis conſpirationem* cum portione hac extror-

trorſum protruſa, ſatis conſpicuam reddit. (Conf. IV. Aphor. 51. & *Hollerii* in illum Commentarius.)

§. LXVII.

Ita nempe connectimus proinde, quæ jam ſuprà innuimus, quod vel exemplo *Iracundiæ*, tam *Eryſipelatodes*, quàm *χολῶδες*, adeoque *καύματος*, per *ἀπόχυσιν* in peculiarem locum, compos Materia, cooriri poſſit; hæc ipſa etiam poſterior, niſi in concurſatione cum *craſſioribus* rebus velut incorporata, in uno aliquo loco hæreat tota, adhuc etiam tunc aliquid diffundere poſſit *Eryſipelatodi* excretioni aptum, ſub forma *Apoſtematis*: ſed communiter, niſi morbus mox *ſolvatur*, & hæc ipſum quoque *rectè ſuccedat* (ut in alleg. 4. Aphoriſm. 51. Vox *λυόμενα medii Modi* capax, non modò ſubindicare videtur, ſed ipſa res eſt) nihilominus ſucceſſu & exitu ſuo *periculoſi*, imò ſubinde *funeſti*, uti de *Parotide*, *Pleuritidi* aut *Peripnevmoniæ ſuperveniente*, bene monet *Hollerius* ad h. l.

§. LXVIII.

Secundùm hanc evolutionem diſpaleſcunt utique veræ hæ acceptiones non ſolùm *Nominum*, ſed etiam *aſſertorum Hippocraticorum*, de *Cauſo*, de *καυσώδεσιν*, & utrisque præſertim in illo *Climate*, familiariter ſupervenientibus *Apoſtematibus*, & quidem *pejoris moris* atque *difficilioris tractationis*, vel ipſi reliquo morbo adhuc *innexis*, vel *retroceſſione* ſuâ, *recidivam* aut ejusdem, aut alterius *malè morati morbi*, parturientibus. Ubi iterum ſupra laudatam etiam paſſim *ἀκρίβειαν* Hippocratis, in *καυσώδεων*, *καύσου*, *ὀξέων*, indicationibus, commendamus.

§. LXIX.

Sicut autem hac ratione illæ Febres *ὀξέες*, quæ *καύμασιν* illis *biliosis* adjunguntur, in *Inflammatione craſſiore* & *acriore* omni modo magis *anxiæ* atque vehementes, pro læſionis *quantitate* atque *qualitate*, cooriuntur: Ita tantò tenerioris atque cautioris ſchematis ſunt illæ, quæ *tenuem* emotionem *Eryſipelaceam* adornant. Quod quidem tantò facilius fieri poſſe videtur, quando Materia talis, non ſolùm *in genere* magis in diffuſum *circuitum corporis*, ſed etiam in ſpecie ita ad partes verè *ignobilio-*

res,

res, diducitur quin etiam in hac ſua conſiſtentia prima, adhuc tenuior videtur, quàm ut parciore alicubi *adhæſione* circà *interiores* partes ingens damnum incutere poſſit. Cum ex adverſo, vera ejusmodi *ἀπόχυσις*, quæ *confertim* ad *unam* aliquam partem facta, & ibi planè *ὀξύτητα δριμεῖαν*, *acorém acerrimum*, quin *æruginoſum* nacta, certè longè alium *præcipitem* æque atque *graviſſimum* effectum edere poſſit. Interim tamen, quando etiam *Eryſipelatodes* illa Materia, pariter è *diffuſo in arctum* iterum repercutitur; vel etiam jam qualitercunque *corruptioni* aptata, in teneriores partes transponitur, faceſſit utique ipſa quoque, non minus *periculoſi* eventûs mala, imò damna, nec etiam *languidiore* multò, ſucceſſu æque, atque exitu: Quod vel ſoli illi *Hippocratici* textûs teſtatum reddere poſſunt, qui in *Coac Prænot.* habentur *περὶ κυναγχικῶν*, quod *Anginæ* tales *quæ nec in Collo, nec in Faucibus quidquam conſpicuum faciant, verùm ſuffocationem vehementem & ſpirandi difficultatem inducant, eadem die, & tertio occidant - - - - quibuscunque verò tumor & Rubor in Collo contingant - - - - - - imò Fauces, Cervix, & Pectus ſimul rubuerint - - - - ſi Rubores hi non ultro recurrant, ut plurimum ſerventur - - - - ſi verò evaneſcant - - - - - non diebus judicatoriis, pernicioſæ fiant - - - - - - Eryſipelas verò foris ſupervenire, commodum eſſe: intrò autem converti lethale. Converti vero intrò, ſi diſparente Rubore Pectus gravetur, & vix ſpiritus trahatur. - - - - - - In Caput à tali Angina dolores transferri - - - - ab eadem in Crura decumbere - - - - - - in Hypochondria, pernicioſum eſſe,* imò *in his, etiam clam occidere.* Conf autem omninò *IV. Aphor. 34. 35.*

§ LXX.

His ita deductis, cum confidamus neminem fore, quin arbitretur, quod *Febris* quæ ſolidæ *inflammationi* hujusmodi inſolentiori, qualis in verè *Cauſticis* occurrit, jungitur, ſit *ſecundaria*, non *primariò*, *per ſe*, ſubſiſtens, ſed tali alteri Affectui omnino *accedens*, ita Crucem hic figere videtur *Sennertus*, quando *Febrem*, quæ *Eryſipelas* comitatur *primariam* potius atque *directam* eſſe, judicat.

§. LXXI.

§. LXXI.

Nobis, ut *amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica eſt Veritas*, nemo certè vir bonus vitio vertet, ſi ſimpliciter in rem ipſam intento Animo, omnes alios reſpectus liberaliter ſeponamus. Argumentum pro ſuà ſententia nectit Auctor, à ſuppoſitione illa, quod *Eryſipelas* non niſi cum *Febre* invadat, quæ *ſæpe* uno atque altero die ægrum ſoleat affligere, antequam iſtud erumpat, & ſolvatur *criticè* per hunc Tumorem.

§. LXXII.

At verò, quemadmodum illa Aſſertio de *Febre*, quàm maximè poſtulat Diſtinctionem, inter *quoscunque Motus Sanguinis* ſolitô vegetiores, & formalem ſenſibilius *typicam* talem, non ſolùm *Commotionem*, ſed σύνταξιν *proportionati* peculiaris Motus; ita certè ne hoc quidem abſolutè perpetuum eſt, ut *Eryſipelas* nunquam niſi cum *ſenſibili* febrili Commotione extrorſum erumpat. Notiſſima eſt in hoc genere conſtitutio Subjectorum, imprimis *fœminei* Sexus, *Eryſipelati aſſvetorum*, quibus vel â levi *Iracundia*, vel â *Terrore, tacitè*, & ne quidem cogitantibus, nedum ſine aliquo ἀξιολόγῳ præcurrente *ſenſu*, *Eryſipelas* efflorescit: imprimis quando ſenſibilius *Phlegmatica* ſunt Conſtitutionis, cum *Sangvinea* tamen aut *Cholerica* συμβολίζοντος. In talibus inquam Caſibus, cum conſpicuum *Eryſipelas* à cauſa etiam vere *interna* extrorſum tendens, imò prodiens, præſto ſit; & inprimis maxime familiariter *non parva mole* intumeſcentiæ conſpicuum, interim *Febris* effatu digna, imò vel quoquo modo *ſenſibilis*, minime percipiatur, quomodo rebus ita conſtitutis *Eryſipelas* ſimpliciter *effectus* Febris, & *Febris Fons & Origo* Eryſipelatis haberi mereatur cujuslibet idonei arbitri Judicio facile permittimus.

§. LXXIII.

Quantumlibet autem hæc locutio etiam ita accipi poſſet, quod *Febris*, ſicubi jam *cum Eryſipelate* concurrit, ratione *dignitatis* pro primario affectu habenda ſit, & tanto vigilantius cavendum, ne quidquam quod huic præjudicium afferre valeat, ſuſcipiatur: cum perturbationes *Eryſipelatis* ſimplicioris, aut magis ſolum directe & ſimpliciter in ipſum, ut jam in loco ſuo firmum

hæret

hæret, impingentes, damna utique etiam inferant, nunquam levia, quin imò ipſo *ſphacelo* etiam graviſſima: tamen cum hæc tantiſper adhuc in exterioribus hæreant, ſi vel etiam Membrum amitteretur, hoc ipſo tamen non æque directe, nedum ſimpliciter vita totius auſſeratur: ex adverſo verò in *Febribus Eryſipelas* molientibus, vel non decenter ſuccedens neceſſarius exitus, vel plane iterum ad interiora retropulſus, hæc ipſa graviſſima penitus pericula imo damna, longe certius machinetur: licet inquam hæc explicatio & poſſet adhiberi, & rectiſſime utique quadret, ſi modo etiam Authoris ſenſus in eo conſentiat, ut non ita *in omni Eryſipelate* tanquam *infallibiliter* jam præſentem atque concurrentem *veram Febrem* urgeat, utpote quæ pluribus *Eryſipelatis* exemplis, uti dictum, inprimis *in jam adſvetis*, non ita ἀξιόλογος, imò vel ad qualemcunque ſaltem ſenſum φανερὸς obſervatur.

§. LXXIV.

Quantumlibet autem etiam *Eryſipelas* tale, extra *ſenſibilem Febrilem* commotionem ita effloreſcens, importuniores *retroactiones* non ferat, quin omnino deinde *Febris* ejusmodi *mali moris* mox ſeſe manifeſtet: tamen certe hæc tam exiguum documentum præ ſe fert ſuæ *Idiopathiæ*, ut potius in hoc exprimat parem prorſus eventum *commotionum* etiam gravium *Febrilium*, quæ ab oppreſſa repentè, in Corpore cœtera ſano, per Exercitia, aut potum aliquando calidum, *ſudatione*, hic illic cooriri ſolent. Ubi ſi quis commotionem illam ſangvinis â qua tales *ſudationes* concitatæ ſunt, etiam ad *Febres* referre contendat, illi & iſtam explicationem, & ab illa etiam talem aplicationem ad *Eryſipelaceam Febrem*, merito relinquimus. Quod autem non bene exeunti per tranquilliores *diaphoreticos* motus, materiæ *Eryſipelatodi*, ſed intus in corpore damna illa machinanti imò inferenti, qualia in *ignobilioribus* partibus & craſſioribus, minùs violenter edere poterat, *Febris* utique *adjungatur*, & *ſecundario* accedat, eſt quod nos maximè intellectum volumus.

F §.LXXV.

§. LXXV.

Interim iterum iterumque utique maximè, non agnoſcimus ſolum, ſed commendamus maximoperè, conſiderationem *differentiæ* illius *materiæ* directè & ſimpliciter magis, quaſi ἰδίως *Eryſipelaceæ*, quæ v. gr. *in adſuetis*, ab *Ira*, â *terrore*, *naſci*, inprimis autem *reverti* ſolet: ab illis *Apoſtaſibus*, quæ vel ab *interna Inflammatione* graviore, *apoſpasmatis* etiam *parcioris* modo, abrupta, ad exteriora aliquò, *ſeponitur*, ſub *Febre* jam valde *inſigni*, cum *anxietate* & ἀδυναμίαις: Vel etiam ab ipſis Rhevmaticis initiis, circa fauces, & verſus pectus reſtagnantibus, alicubi emicat, juxta monitum *Divi ſenis*, hactenus allegato loco *de priſcâ Medicina*, (ſub initium tractationis, anteà citatæ *cauſticæ* magis conſtitutionis.) Quæ nempe Tractatio re vera tam καυσωδέων, quam καύσων ὀξέων Indolem pulcherrimè indicat.

§. LXXVI.

His autem ita conſtitutis, cavendum nobis eſſe videtur, ne Occaſione *Eryſipelatis ſimplicis* & *benigni*, (quamdiu ſibi conſtat,) imputari nobis poſſit, ac ſi ſecundum hanc conſiderationem, omnes *Febres*, eodem intuitu quo hæ, quæ *Eryſipelati* ſupervenire (aliquando) ſolent, ſint *ſecundariæ:* aut ad minimum hæc ipſa *Eryſipelati* accedens Febris, nihilo minus *Primaria* ſit, quàm alia quæcunque.

§. LXXVII.

Cui quidem Rei non facilius in utramque partem conſuli poſſe videtur, quàm comparando cum *Febribus Eryſipelatodeis Variolas*. *Variolæ* nempe cum *exanthema* ſint, per *totum* Corporis *habitum*, *indifferenter*, & ita quidem *paſſim*, efflorescens, ut etiam *Capillitii* fundum (quem *Scabies* ſimplex non attingere ſolet) *æqualiter*, ut alia quælibet loca, occupet; quomodo pro *Abſceſſu*, nedum *Critico*, haberi poſſit, niſi omnia à *ſpeciebus*, & verſiore *Particulari* Habitu, ad *generaliſſimos* conceptus trahere, & in iisdem ſimpliciter retinere velimus, non poſſumus perſpicere. Peculiari *Programmate* commendavit D. D. Præſes diſtinctiorem conceptum ſtrictiſſimô ſenſu intellecti *Apoſtematis*, & *Apoſtaſeos Hippocraticæ*. *Apoſtema* tali ſenſu, apud omnis

mnis ævi Medicos deſignat *ſuppuraſcentem aut ulceraſcentem* affe-ctum; quo ipſius illius portionis, quæ in parte aliqua corporis conſedit, *abſceſſionem* â Corpore, propriiſſimè denotet. Unde quidem *collectio inflammatoria* ad hujusmodi *Corruptionem* progrediens, familiari Uſu *Apoſtema* dicitur quantumlibet etiam vel ab *externâ causâ* Originem duxerit: ſicut etiam diſertè *Abſceſſus & Abſceſſionis* Nomen, & quidem ἀποςάσεος etiam nomine ipſi Oſſi tribuitur VII. Aphor. 77. ſicuti τὸ ἀφίςαϑαι eidem Oſſi VI. Aphor. 45.

§. LXXVIII.

Hoc quidem ſenſu ad *Apoſtematum* Cenſum pertinere ipſas etiam *Variolas*: quia *ſuppurantur*, nemo dubitaverit. Quod autem hoc intuitu etiam famoſiorum illarum ἀποςάσεων, aut potius CRITICORUM ἀποςημάτων cenſui ſimpliciter accenſendæ veniant, nihil perſvadere, nedum urgere apparet.

§. LXXIX.

Minimè autem placet λεπτολογεῖν. Aliàs enim *Quæſtio* illa, quæ vel iſtis curioſiſſima videtur, qui aliàs *Theorias* averſantur, certè ex alio planè Capite enucleanda videretur, *an* nempe *Hippocrates ſub qualicunque mentione* ἐξανϑημάτων & *puſtularum ulceroſarum plurimarum III. Aphor. 20. indicatarum* de *Variolis* aut *Morbillis* loquatur? Cum plurimum â conſvetâ ſuâ exactitudine receſſiſſe oporteret, ſi in iſtis *Puſtulis* (*Scabioſis*,) recenſendis, quibus etiam *generalius illud tempus Vernum* aſſignare non obliviſcitur, negligeret *triplicem* illam circumſtantiam, de *Variolis*, etiam omnibus Hominibus hodiè notiſſimam, & veriſſimè, (ut & *Morbillis*) *ſpecificam* exprimere, aut ſaltem alicubi indigitare (nedum hic, ubi ſtatim ſequentibus Aphoriſmis *ætatum Morbos*, & inprimis *infantilis* ætatis præ aliis prolixius, recenſet) nempe 1.) quod *omnibus Hominibus metuendus* CERTO ſit hic Affectus; 2.) & communius quidem *ſemel* tantùm in vita; 3.) imprimis autem *Infantili* & *Puerili ætati*. Quibus meritiſſimo Jure adhuc adjicere liceret 4tam, quod *Infantibus* quidem *feliciùs*, *adultioribus* ſemper *periculoſius* cedat hic Affectus: Tantò magis, cum etiam

congruorum Morborum Rationem habendam eſſe tam peritè commendet. Ut 5.) de *Contagioſâ* indole nihil dicamus.

§. LXXX.

Ut interim huic etiam Rei, non fictum aliquod atque Cerebrinum, ſed verum etiam atque reale diſcrimen adhibeatur, 1.) vel ex ipſo Hippocratis Textu, qui pro Variolis allegatur, *Exanthemata* ἑλκώδεα, & φύματα, ſimpliciter illis rebus ad latus ponere, quas Hippocrates *Apoſtaſium*, & *Apoſtematum*, tam *febrilium*, quàm aliàs ſimplicius hoc nomine ipſi venientium, appellatione peculiari notat, quomodo cum illa vel *verâ Hippocratis*, vel *affectata* tanquam *ſecundùm* [*Hippocratem* exactitudine conſpiret, facile fuerit dijudicare. 2.) Neque vero etiam aliis quos paſſim Hippocrates innuit, *Apoſtaſibus* tota ſua indole reſpondeant variolæ; cum veluti proprium ſit *iſtarum*, ut *particularem* magis, imò plus minus *certum ſpecialiſſimum* locum occupare paſſim indicentur; ut *ad Aures*, ἐς ἄρθρα *in artus* aut *articulos*, ad *Ingvina*: cum ex adverſo *Variolæ* non ſolum *familiariter*, ſed etiam vere potius *ſolenniter*, ad *univerſum* Corporis habitum *indifferenter ſe habeant:* adeò etiam, ut quando *parcè* admodum atque *paucæ* efflorescunt (ubi meritò credi poſſet potius *junctim* alicubi ἀφίςαϑαι facilius fore:) nihilo ſecius tamen ibi etiam, & ſub tali pauciſſimi quoque numeri excretione, ordinariè potius & conſtanter *per totum Corporis ambitum*, ſine ulla prærogativâ unius partis vel apparente ſolum, nedum dilucescente atque conſpicua, etiam ita *ſigillatim* prorſus diſpergantur.

§. LXXXI.

Et hoc quidem tanquam obiter de acceptione *Variolarum* improbabili, tam pro *Puſtulis Hippocraticis*, quam pro *Apoſtaſi verè Hippocratico ſenſu.* Ab *Eryſipelaceis* autem in ſpecie, tam verè *ſimplicius* talibus, quam etiam *ſtrictiore* acceptione φλεγμονώδεσι *abſceſſibus*, differunt Variolæ utique maxime in eo, dum *Eryſipelata*, tantum abeſt, ut *Febrem*, *Veram atque ſenſibiliter* præſentem *perpetuò* præſupponant, adeoque illam unice *ſequantur:* ut potius meritiſſimo jure audienda hic ſit *Experientia Hippocratis*, in evidentiſſimis illis monitis, circà *ortum* tam *Eryſipelatis* alicubi in

Cor-

Corpore, quam etiam *Cholericorum* καυμάτων: Jam aliquoties laudato loco *de Priſca Medicina.* Ubi indicat, *non* quod *Eryſipelata*, & *Inflammationes Viſcerum* à *Febre*, ſed potius *Febris* (*Peripnevmonica*) *ab Inflammatione*: *Inflammatio* verò hæc, tam *Eryſipelacea*, quam *Peripnevmonica*, â *Rhevmate* ſalſorum Humorum, à quibus etiam *Coryza acris* &c. cooriantur.

§. LXXXII.

Adeoque non ſolum ſecundùm hanc Obſervationem *Hippocratis*, *Eryſipelata* ſimpliciter, tam in *ortu* ſuo, quam inprimis *exitu* libero ad partes exteriores, *nunquam præſupponant* aut præmittant, aut *ſimpliciter ſequantur*, FEBRES: ſed potius plane *contrà*, *Febres ſequantur* Eryſipelata, â quacunque etiam *alia origine*, *non recte* extrorſus *progredientia*: ſed potius, ut ab illis *Rhevmatico-Anginoſis* initiis, ad *intimiores Partes ſerpentia*: vel plane mala tractatione ab exterioribus *ad interiora compulſa*.

§. LXXXIII.

Tantò magis autem alio loco ponendi atque habendi ſunt illi *Abſceſſus*, qui *Febribus* ὀξέσι καυσώδεσι, ab *internis* καύμασιν per ἀπόχυσιν τῆς χολῆς ξανθῆς, ἢ μᾶλλον ἰώδεος, ab *effuſione* illa *Bilis* tum valde *flavæ*, tum plane *æruginoſæ*, & *acerrimæ*, juxta eundem *Hippocratis* locum, factis; tandem adhuc etiam *ad exterius* Corpus *extruduntur*: Difficillimâ communiter felici atque *plena ſolutione totius* morbi. Quod maxime ex eo dependet, quod hujusmodi *Abſceſſus*, (ut inprimis juxtà *Hippocratem*, *ad Aures* familiarius exeuntes, in *Cauſis*, & καυσώδεσι, etiam cum manifeſta *Bilis in primis viis* complicatione,) neque ſimplici *diſſolutioni* Eryſipelaceæ tam promptè obediant: neque tamen interim etiam *laudabili ſuppurationi* ita pateant atque pareant: quod nempe etiam *de Eryſipelate* notiſſimum, imò hoc â *puris* generatione totum alieniſſimum eſt.

§. LXXXIV.

Circa has res mirum non adeo eſt, â craſſis ingeniis, neque Medicinæ, niſi per corraſos quosdam atque temere convulſos magis, quam decerptos alicunde textus aliquos, neque tanto minus, ullius Chirurgiæ Medicæ intelligentibus, non poſſe per-

ſpici, qualis nam revera paſſim ſubſit diverſitas, circa hujusmodi abſceſſuum, vel *promptiorem*, vel *nullam directè* obtinendam, *maturationem:* Unde vel pro obſervationibus peculiaribus, licet ſecum ipſi diſcordes atque dubii, narrant, *abſceſſus hujusmodi etiam aliquando ſine ſuppuratione iterum feliciter ſenſim diſcuſſos eſſe*; Cum vel ex ipſis hiſce Hippocraticis Indicationibus, ſtatim diluceſcere poſſit vera illa *diſtincta* conſideratio, imò vero diſtincta *conſtitutio* hujusmodi *Abſceſſuum*, ab *acutis* Febris *καυσώδεσι* & Eryſipelα*τώδεσι* ejectorum; ut vel *Suppuratoriæ* indoli propiores, *maturando* atque *evacuando* curationem ſubeant: vel *tenuiore* Materia, *Eryſipelaceæ* indoli propiores, *ne quidem admittant maturationem*, optimè vero *diſcuſſionem*: non tamen alieniſſimè *retropulſoriam* ſimpliciter: nec proinde etiam *repentinam*: ſed ad Schema ſimplicis etiam *Eryſipelatis*, talem, quæ *tenuiſſimarum* partium *exſpiratione*, *mediocrium* PER TEMPUS, juxta eundem *Hippoc. locum in fine*, *κρῆσιν*, *ſubactionem* cum aliis, & *παχύτητα*, *inſpiſſationem*, nanciſcantur, eoque facto placidius iterum cum Humoribus *remiſceantur*, alibi paſſim, inprimis per *Urinam*, ſenſim *ejiciendæ*.

§. LXXXV.

Ut autem ita tandem etiam *Eryſipelaceas* æquè, atque alias *καυσώδεις* & *Inflammatorias* Febres, à verius *Primariis* ſequeſtremus, & ut *Secundarias* confirmemus, dicimus, quod *Secundariæ* quidem Febres *jungantur* non ſolùm talibus *aliis Affectibus*, qui etiam revera *proprium quiddam habeant*, *conſtituant*, atque *ſint:* ſed etiam aliquando, inprimis autem per ipſa ſui initia, *toti ſine Febre exiſtere*, quin imò *ſubſiſtere*, poſſint, imò ſoleant. Id quod tum de *Effuſionibus* acribus, adhuc ſine manifeſta Febre *Cholericis*, antequam *Arroſinem* penitus *Inflammatoriam* perfecerunt, notum eſt: tum de *Eryſipelate*, quod quando bene, & largiter tamen ſubinde atque ſatis copiosè, ſuccedit, *Febre* hoc nomine *merito dicenda*, verè caret.

§. LXXXVI.

E contra verò *Primariæ Febres*, licet per ipſas etiam aliquid conſpicuum excernatur, tamen ita comparatæ ſunt, ut illa

illæ res, quas ipſæ ita expellunt, non ſolùm nullum *per & ex ſe proprium Schema*, aut peculiarem Affectum forment: ſed etiam nunquam ſine ſenſibili, ſatis conſtanti, febrili Motu, vel *exiſtere*, vel *exire*, poſſint aut ſoleant.

§. LXXXVII.

Secundò, quod iſti Affectus, quibus *ſecundariæ* Febres accedunt, partim etiam *propriis Methodis atque remediis posſint* infringi; partim *debeant:* uti non ſolùm de *Cholerico Billioſis* illis *καύμασι*, ſed de ipſis omninò *Eryſipelatibus*, notum eſt: quod, inquam, talia poſſint *præoccupari, mitigari*, imò ita *disſipari*, ut vel non *formaliter*, vel non *vehementer* coëant: Ex adverſo verò alteræ illæ Materiæ *Primariam* potius Febrem poſcentes atque foventes, ſimpliciter & abſolutè etiam *vere conſpicuo Febrili Motu* ita & non aliter, è Corpore ſecerni & excerni posſint, nullum autem usquam, quando ſemel Corpus inſederunt, *proprium tractandi, medicandi, ſuperandi* Artificium, admittant aut agnoſcant.

§. LXXXVIII.

Sicut etiam *tertiò*, harum *acceſſoriarum* quarumlibet Febrium, quod certè notari meretur, nusquam ullus *proprius atque conſtans eſt Typus exquiſitus* cum ex adverſo inverſiùs *Primariis* Febribus longè magis evidenter & conſtanter *proprii* ſint *Typi*. Sicut enim etiam jam ſupra indicatum eſt, *quamobrem* hujusmodi v. g. *inflammatoriæ* Febres non poſſint *certum Typum* ſervare, dum ab *inæquali Succeſſu & Eventu* ipſius *Inflammationis* pendent: ita ex adverſo, in ejusmodi conſtitutione, ubi materia illa, propter quam fit Febris, adhuc *ſimplicius in Humoribus* oberrans, neque tàm corruptionis jam perpetratæ, ſed ne quidem ſtatim & immediatè perpetrandæ, compos, *directâ* tali *Excretione* Febrili reverà ita præcurrente, occupatur; non autem demum jam factæ alicui noxæ *ſupervenit* aut adjungitur Unde quidem etiam plus poteſt, & propria ſua activitate atque Methodo materiam illam talem verè in ordinem cogere poteſt. Cum ex adverſo *ſecundariæ* tales Febres longè, imò nimiò minus hic poſſint, licet quàm maximè fiant atque vigeant: Id quod

evi-

evidentiſſimum eſt in *Hecticis*, quæ vel *Ulcerationi*, vel *Ulceroſo-nodoſæ Staſi*, v. g. in *Pulmonibus*, adjunguntur.

§. LXXXIX.

Verbum adhuc dicendum venit de illis Febrilibus *Motibus*, qui *Arthritico-Podagricos*, maximoperè verò *Rhevmaticos*, Affectus, comitari, partim ſentiuntur, partim finguntur. *Primò* illis, qui vera & exquiſita *Podagra*, imprimis *ſeniores*, vexantur, *Febriles* Affectiones juxta *proportionem* ſuæ Podagræ, minimè evenire, in vulgus notum eſt. *Secundò*, hodiernis Moribus etiam inter Febriles *Abſceſſiones* narrantur hi Affectus, nempe tanquam *Ejectamenta Febrilia* & omninò planè *Critica*. Cum tamen illis, qui etiam adhuc plus quàm Res ipſa ſit, nedum poſtulet, *Febrilis* indolis in his negotiis quærunt, nedum nihil præoccupatis, *duæ* illæ circumſtantiæ paſſim notiſſimæ ſint, aut certè eſſe poſſint, *Primò*, quod *Febriles* illi *Motus* potius totam Podagræ *Durationem* conſtanter *comitentur*: *ſecundò*, etiam ab ipſis primis initiis, nequaquam iſti tales *Febriles Motus* Podagræ *proportionatè* præeant, & ſecundùm proportionem hujus velut ita *erumpentis* ceſſent: ſed potius cum incipientibus Doloribus *incipiant*, cum augeſcentibus *augeſcant*, cum vigentibus *vigeant*, cum declinantibus *declinent*, cum exſpirantibus *exſpirent*. Et hoc quidem Univerſum, non *Typo* aliquo, neque etiam brevi *Circuitu*: ſed plurium ſubinde Septimanarum ſpatio: imò Exemplis haud ita paucis, quaſi perpetuò *ſucceſſu*, variantibus ſolùm gravioribus interdum *Exacerbationibus*. Quales res ita *generaliſſimas*, *ſpecialiſſimis* illis illuſtrandis, imò *demonſtrandis*, non tam pro argumento quàm documento adhibere, inane certè eſt.

§ XC.

Illud potius, ſed certè aliorum Ingeniorum, & conſideratione ſolida; & evolutione dignum eſſet, quid *diverſitatis* in hiſce vulgò in ſimplicem *Arthriticam* tribum detruſis *Affectibus circa Artus & Articulos*, imprimis per *prima initia*, in non ita pauciſſimis Subjectis, verè debeatur prægreſſis *Apoſtaſibus Febrilibus*, & inde etiam *Rhevmaticis* Occaſionibus: Quin imò ſœpenumerò etiam prægreſſæ partis *debilitati* atque *ſenſibilitati* à *violentis*

Læſio-

Læſionibus, etiam antè *longiſſimum tempus* toleratis. Quarum rerum diverſi poſthac *ſucceſſus*, atque diverſi *ſchematiſmi*, à ſimpliciore verâ *Podagrâ* aut *Arthritide* quantum differant, operæ pretium certè eſſet, dilucidius enucleare, quod DEO atque Diei commendandum. Interim in hoc negotio fundari multam differentiam majoris aut minoris *Concurſus Febrilium Motuum*, certiſſimum eſt. „Ubi etiam tales Practici, qui non„ in *generalibus* acceptionibus, adeoque *ſpecialium* rerum abſo-„ lutis inter ſe *confuſionibus*, latibula quærere neceſſe habent,„ ſed potius res uti ſunt, accipere, agnoſcere, dignoſcere, ſe-„ cundùm diverſam ſuam indolem, diverſa proportione ju-„ ſtâ, etiam tractare, cordi habent, & Individuales, adeoque„ ipſi Affectui utique accidentales, diverſitates, cum directo„ morbi genio confundere cavent, facilè etiam recordantur,„ quid non ſolùm in *omnibus*, ſed etiam eò magis in *diverſis*„ horum generum Affectibus, poſſint atque præſtent ſimpli-„ ciores etiam *Animi Commotiones*, imprimis ab *Iracundia*, &„ *Terrore*.„

§. XCI.

Hæc itaque eſt *Indoles Febrium ſecundariarum*, tum *in ſe* ſpectatarum, tum imprimis cum *Directis & Primariis* comparatarum. Ubi tamen præcipuè verbum adhuc dicere placet de MAGLIGNITATE, *Acutarum* imprimis, *Secundariarum* talium Febrium. Theoriam quidem IN PRAXI inutilem eſſe, nemo tam ſtupidus eſt qui neſciat, nedum neget: ſed AD PRAXIN *utiliſſimam* penitus, imò *neceſſariam* hinc inde eſſe, nemò quoque impugnare poterit. Quamvis enim utique *Medicamenta* & *Experimenta* non ſuppeditet, aut planè illa, certè non ſine omni cauſa, à Practicis adeò ſollicitè paſſim quæſita *Arcana*: ſuppeditat tamen verum atque ſolidum *Arcanum Practicum*, AD Praxin, inquam, decenter *ordinandum*, imò ipſum Affectuum *genus* atque *genium* verè pernoſcendum (ſine qua Re etiam *vera* Experimenta & Arcana, *ſpecialiſſimis* rebus dicata, irrita evadunt) veriſſimum inquam *Arcanum Practicum*, METHODUM, ita & inveniendam, & exſequendam. Hoc ipſo intuitu mi-

rimè veremur, præſente loco etiam *Theoreticum* quiddam monere, aſſerendo, quod *Febres* illæ verè *ſecundariæ*, nempe *Inflammatoriæ* quælibet, nullo ſuo merito *Malignitatis* arguantur.

§. XCII.

Malorum Morum has eſſe *Febres*, ex eo vulgò arguitur, quod nihil *conſtans*, nihil *æqualiter vegetum*, nihil *fidum* exhibeant atque ſiſtant. Quando autem vel paulò tantùm tranquilliore animo coſideratur, imò verò perpenditur, numquid hæc talis Conſtitutio verè ab ipſarum *Febrium* harum *genio*, *quatenus febres* ſunt, dependeat, adeoque *propriè & directè* ipſis imputanda ſit; ſimul autem potius illorum indoles attenditur *Affectuum*, quibus hæ *ἐπιγίνονται*: non poteſt certè tum fieri, quin mox animo occurrat longè ſimplicior atque evidentior culpa horum affectuum potius qui ſuo *proprio more atque genio* ita intractabiles exiſtunt, ut illorum potius *horas* atque *moras*, eoque ipſo *mores*, magis abſolutè ſequi neceſſe habeat ipſa *Febris*.

§. XCIII.

Quantumlibet autem hoc ita *Theoreticum* videri poſſit, & inanis coram ſpiſſo capite diſtinctio; *Medico Theoretica* tamen eſt omninò atque AD *Practicum* USUM, per *Methodum* ſinceram non ſolùm *accommodata*, ſed omninò etiam *neceſſaria*. Quamvis enim *Remedia*, quæ non opinione atque vanis imputationibus Commentariorum, ſed *vera conſpicua*, atque *conſtante Efficacia*, cuicunque tandem MALIGNITATI reſiſtant, nulla usquam dentur; illa autem, quæ vulgò paſſim his nominibus jactantur, vel per ſe *acriora* ſint atque *calidiora*: vel *methodo expellente*, & *Regiminibus* talibus ſuperſtruantur, unde vulgaris illa Locutio, **das Gifft vom Hertzen treiben**: cum interim *Inflammationum internarum* conſtitutio non ſolùm *repentinis* ita *auctis impulſibus*, ſed etiam ipſis *Humores intimiùs exagitantibus Methodis* atque *Mediis*, non in melius, ſed *in deteriùs* conjiciantur; (rectiſſimè de MALIGNIS etiam *veris Febribus* hoc monente *Baglivi*,) manifeſtum utique hinc eſſe poteſt, quod aliena illa *Malignitatis*, tanquam *de ipſa Febre*, acceptio (certè etiam nuda *Theoria*, imò ſolidiſſimè *ſpeculatio*; quia inſuper ficta &

fal-

falſa) Malo Eventui introducendo aptiſſimam ſeſe exhibeat. Cui rei imprimis accedit, quod *Malignitas* illa uti in ſolidum potius ab *altero Affectu*, *Inflammatorio*, pendet; ita ſecundum *hujus* etiam vehementiam *major vel minor* exiſtens, ſi vehementi tali affectui, *inflammatorio* dico, conjuncta conſpicua talis *κακοήθεια*, vehementibus *Exagitationibus* tractetur, exacerbata hinc magis ipſa *Inflammatione*, omnia in pejus conjiciantur. Id quod imprimis de intempeſtivis illis *expellendi* ſeu *excutiendi* ſpeculationibus, antequam *diſcuſſum* ſit, imò forte diſcuti planè *non poſſit*, valet.

§. XCIV.

Progredimur ordine propoſito ad illam conſiderationem, quid *Commotiones* febriles tales *ſecundariæ*, non ex univerſa *ſua abſoluta* Indole, ſed per *accidentales*, promptas tamen atque valdè familiares, *alterationes*, poſſint, imò hinc etiam ſubinde ſoleant, perpetrare, ab illorum *Affectuum*, quibus *complicantur*, indole verâ plurimùm alienum.

§. XCV.

Dilucеſcit quidem hoc bonam partem jam ex illis, quæ huc usque dicta ſunt; dum videlicet, quando *Febres* vel *ſpontè* (per Indolem Patientium turbulentiorem; quin etiam *Iracundi* animi habitûs, adhuc gliſcentes fremitus) vel *arte* (intempeſtivis, aut penitus perverſis Commotionibus & Exagitationibus Humorum) vel *caſu* (Malo Patientium Regimine, vel etiam jam alia reali mala Diſpoſitione Patientis prægreſſa verè morbida) ab ordinatiore, & præſenti primario Affectui verius *proportionato* progreſſu atque modulo diſturbantur, ut vel *impetuoſius*, quàm *reſolutioni* atque *diſcuſſioni* proportionatè inſtruendæ reſpondeat, impellantur: vel *Criticas* Commotiones tentare atque moliri ſuſcipiant, ubi reverà *genius Materiæ* ſit *ἄκριτος*, & *ſucceſſibus* potius, quam uno *ſimultaneo actu*, ſeu *diſcuti* ſeu *excuti* unicè poſſit: vel etiam extruſa aliqua *portione*, *hærente* autem adhuc graviore in *interioribus Læſione*, in ſolennia illa confectaria *infeliciter tentatæ*, & *inſufficienter patratæ κρίσεως*, tranſeat, *Languores* repentinos ſummos, *deſperabundam* Vi-

 rium,

rium, dico *Activitatis* totius, *desponſionem* & *omiſſionem*, nec inſuper ullam amplius *ordinatam* & *conſtantem* ulteriorem proſecutionem, quin potius, quantò vehementior fuit *Impetus*, eò certiorem *funeſtam ceſſationem*.

§. XCVI.

Hoc nempe eſt, quod hæ Febres ita perpetrant, ab *Affectus* ipſius indole alienum, quando tanquam ob aliam quamcunque *febrilem cauſam*, non verò juxta illius *Affectus*, cui tamen jam præcipuè *ſuperinducuntur*, proprium genium atque *ſpecialisſimam Proportionem*, formantur atque decurrunt. Ubi quidem certiſſimum eſt, etiam ex illa allegata in hoc illo Individuo, alia *prædiſpoſitione*, antequam v. g. *Inflammatio in Viſcere* aliquo ſpeciatim orta ſit, multum utique poteſt, ad provocandam & inſtruendam talem proportionem febrilis Commotionis, quæ magis illi alteri materiæ, quæ jam *præcesſit*, quàm huic ſoli Affectui, qui *ſuper iſtam* denuò emerſit, quadret aut ſatisfaciat. Quo nomine, citra longinquas fictiones ſexcentarum *Poteſtatum Salinarum*, nuda illa, & quantò ſimplicior tantò verior, duplex ad Febres Prædiſpoſitio, *Sanguinis Quantitatis* multum *abundantis*, & *Qualitatis* admodum *ſpiſſæ*, utraque valde familiaris, plurimum poteſt: & quidem tantò plus, cum etiam utraque harum conſtitutionum, imprimis *Inflammatoriis* Staſibus, tam *producendis* quàm *fovendis*, imò verò *deterioribus reddendis*, plurimum valeat.

§. XCVII.

Quemadmodum autem hoc in tali Habitu hujusmodi Febrium, ad *Inflammatorios* imprimis Affectus accedentium, forte ſatis conceptui planum eſſe poteſt; ita nihilo magis ambigua etiam illa eſſe exiſtimo hujus claſſis diverticula, quibus *ſecundariæ* hujusmodi Febres, etiam *ulceroſis internis* Affectibus ſociatæ ab iſtorum propriâ atque directâ indole paſſim, per *exteriores* occaſionales perturbationes in transverſum aguntur. De *Hecticis* Febribus loquor; utpote quas nemo circumſpectorum practicorum neſcit, facile ſatis etiam per mediocres *occaſionales* cauſas, graviter mox exacerbari; eoque ipſo, tan-

tantum abeſt, ut illius Affectus, cui jam junguntur, proprio genio quadrent aut ſatisfaciant, ut illi potius verè *turbando* atque *exacerbando* ita malè conſulere, veluti manifeſtò compareant.

§. XCVIII.

Sexto loco de illorum Affectuum reciproco Habitu ab his Febribus etiam alieniore, ſicuti jam ſupra pariter præcipua dicta fuerunt, ita poſſumus tamen præſente loco, tanquam repetendo, adhuc ſemel illud monere, quod utique Affectus *inflammatorii* non ſolùm tota ſua indole, *exquiſitè* inquam, Febri non quadrent, ſed etiam tantò magis, *proprio* ſuo *progreſſu*, proprio *ſucceſſu*, proprio *exitu*, planè *diverſum* quiddam à febre, & hujus progreſſibus & exitu, inferant & præ ſe ferant.

§. XCIX.

Cum enim *Inflammationes* ſint *Staſes* ſanguinis, in ſingulari aliqua parte, *particularibus* in illo ipſo loco ſanguinis *Commotionibus*, vel ad *diſcusſionem*, vel ad *ſuppurationem* deducendæ: manifeſtum utique hinc eſt, quod illa talis *univerſalior* commotio, quales ſunt Febres, locum *directum*, efficaciam *directam*, hic minimè tueri poſſit, ſed magis ſecundum *Partis*, cui Inflammationes inhærent, & *Periculi*; quod illi machinantur, *dignitatem*, quam ullam ſeu *Phyſicam* ſeu *Mechanicam proportionem*, talis cooriatur. Cum autem hoc ipſo directam & abſolutam *utilitatem* rebus ita conſtitutis minimè ita *ſimpliciter* præbere poſſunt; uti proinde illæ ipſæ res, (*ſtaſeos* inquam inflammatoriæ *magnitudo* & *profunditas*, loci affecti inſignis *corruptibilitas*, ad *mechanicos* ſucceſſus, ante omnia ſimplicis diſcusſionis inhabilitas, *ſuppurationis* tum reliqua difficultas, tum in *texturam* æque atque *uſum* partis ingens *deſtructoria* poteſtas, *reparandæ*, etiam ejus *portionis*, quæ ita abſcederet, imò ſolùm occluſionis ſeu *conſolidationis*, ſumma *difficultas*, quin potius verius æſtimando *impoſſibilitas*) per ſe eminent atque prævalent: Ita utique nihil aliud, niſi *febrilibus* illis adhibitis commotionibus conſtanter *refragando*, contrà harum poteſtatem pertinaciter,

imò

imò conſtanter,& poſſunt ita valere,& valent hoc etiam, atque perpetrant.

§. C.

Ex hiſce veris atque ſolidis conſiderationibus, ſicut ita ſatis diluceſcere poſſe confido, quantum non ſolùm *communis* inter ſe *mutuò*, ſed etiam *proprii* paſſim habeant, *Febres ſecundariæ*, cum illis *affectibus*, quibus accedunt: & viciſſim, hi ipſi etiam affectus *in ſe*, *extrà* illarum Febrium ſeu poteſtatem, ſeu reliquam propriam indolem: ita poteſt omninò hinc tantò facilius etiam eluceſcere, quid de *eventu* ipſo magis, quàm *effectu* harum Febrium ſperare integrum videatur.

§. CI.

Febres, ut *primarias*, peculiaribus *proportionibus commotionis* ſuæ ad *temporis* menſuras gaudere, omnis conſideratio veræ experientiæ practicæ, ab omni ævo teſtatum fecit. Secundum hanc circumſtantiam notari volumus illud, quod in deductione ſuperius jam diximus, quòd, *quò magis typo* cuicunque *ordinato*, imprimis cum *moderato* univerſo impetu atque ſymptomatum *mediocritate*, *ſecundariæ* tales febres decurrunt, eò juſtior ſit ſpes, quod etiam, uti ita bene *ſuccedere* ſentiuntur, ita bene in univerſum *cedere*, *exire*, inquam, expectari poſſint. Ex adverſo verò, quando etiam *Typos* quidem præ ſeſe ferre apparent, ſed *impetuoſiùs*, *præmaturiùs*, in ordine ad illud negotium, quod jam *directè* agitant, non verò illud, quod ut acceſſoriæ agere debebant inordinatius commoventur, quod tunc etiam nihil aliud, niſi *alienior ultimus eventus* ita *alienorum conatuum* expectari mereatur.

§. CII.

Feliciſſima ita ſalutariter exeundi ratio, eſt omninò SUCCESSIVA DISCUSSIO Inflammatoriæ Staſeos; & tantò magis quidem hæc ita *ſimpliciſſima*. *Proxima* poſt hanc eſt APOSTASIS, Excluſio, *ſepoſitio* Portionis alicujus, ad *conſtituendam* aut *fovendam* Inflammationem aptæ, ad *Exteriores*, inprimis autem *ignobiliores* Partes. *Tertia* deterior, imò *deterrima*, quando neque *Diſcuſſio* obtinetur, neque licet *aliquid* extrorſum propellatur,

latur, interim *reliquum*, inprimis autem *funeſta* ejus *Efficacia*, tollatur: ſed ita omni modo Patiens intereat.

§. CIII.

De hac re pauca & breviter dicenda ſuperſunt. Quid etiam de *diſcusſionis* negotio, tanto magis autem *excretionis* modo, *motu*, atque *ſucceſſu*, *Hippocrati* & univerſæ antiquitati fuerit in mente, facile patet ex eo, quod omnia quaſi ſimpliciter tribuant Materiarum quaſi ſpontaneo πεπασμῷ, κρᾶσι, *tenuiorum acriorum* cum *ſpisſioribus ſubactioni*: ſimul tamen huic negotio non ſolum in genere TEMPUS aſſignent, ſine cujus interventu nihil iſtorum convenire poſſit: ſed vel planè exquiſitiſſimè *determinatum* tempus, certum dico ejusdem *ambitum*. Interim tamen ſimul etiam utique *motuum* qui iſtas Materias deinde *expellere* obſerventur, ſimiliter *peculiares menſuras* temporum ſupponant: vel eo Exemplo, quod *Cruda* etiam non rarò ante tale exquiſitè *debitum* tempus προκρίνεσθαι, ante tempus commoveri, agnoſcant.

§. CIV.

Quamlibet autem omninò, decente acceptione, utrumque verum ſit, cavendum tamen maximoperè eſt, ne *alterum cum altero confundatur*, neve quod ad *veram* ipſius materiæ *maturationem* reſpicit minus convenienter ad *motus* referatur, aut *vicisſim*. De materia enim, ut ipſa *varia* eſſe poteſt, in variis Febrium generibus, ita certum hinc eſt, quod etiam varium illius *matureſcendi* tempus agnoſcendum foret; ſimul tamen utique magis *continui* cujusdam progreſſus, aut certè nulla conceptibili veriſimilitudine ſemper *denuò*, *impoſterum* etiam *uti per initia*, ſimpliciter *paris & æqualis* ambitus. Cum ex adverſo de ipſis *commotionibus*, materiæ qualitercunque *diſpoſitæ* ſuperinducendis, progreſſivis inquam loco motionibus, longè facilius hoc *concipi* poſſit à priori, & *compareat* etiam ita à poſteriori, v.g. in Febribus *Tertianis*, *Quartanis*, inprimis *Tertianis* per nudam *aſſuetudinem* redeuntibus: imò *anniverſario* tempore revertentibus.

§. CV.

§. CV.

In ſtaſeos ſanguinis *Inflammatoriæ* negotio, (præſertim ſimplicioris ab externis injuriis) irritam eſſe omnem applicationem hujusmodi conſiderationum, quantum imprimis ad ſimplicem *diſcusſionem* attinet, ſatis manifeſtum eſt; quandoquidem ibi non locum habet *maturatio* aliqua ſiquidem aliàs non *diſcusſio*, ſed *ſuppuratio* eventura eſſet: Adeoque ad *diſcusſionem*, ſimpliciter peculiariter, uniformiter quidem, tam ad *magnas* quam ad *parvas* determinatus *ambitus temporis*, minimè certè locum habere poſſe.

§. CVI.

Hoc itaque intuitu, quantum ad *hunc* materialem conſtitutionem attinet, *certas*, & inprimis *æqualiter ſtatas* commotionum menſuras atque *periodos* non poſſe quadrare, non poteſt non diluceſcere, i. e. Febres *inflammatorias* ſimpliciter *quatenùs tales*, non poſſe ſolidum, imò vero *ſolitum quaternario ſeptenarium* typum obſervare, niſi â *materiæ* ſibi ſubjectæ indole, plurimum in diverſum abire debeant.

§. CVII.

Ubi quidem tantò magis notanda eſt etiam certitudo illa *eventus* à poſteriori, quod, quo magis *impetuoſe* Febres ſimiles ita fiunt atque vigent, eòque ipſo præ ſe ferre videntur, quod non ſolum *brevi tempore*, ſed etiam tanquam directo impetu atque molimine (tanquam *directo proprio* ſuo actu) in *Inflammatoriis* ſtaſibus aliquid perpetrare & abſolvere contenderent, communisſimè *malè* cedat. Imo vero etiam, quod hiſce rebus ad latus incedit, ſi etiam per imprudentem opinionem *artis*, in hujus generi Febribus, non ſolum *expectentur*, ſed planè, tanquam in ſupplementum *affectentur atque tententur commotiones* certis talibus *menſuris* Febrium magis *directarum* ſuperſtructæ, nullum autem ad materiæ ſive *qualitatem*, ſive ſimplicem etiam *quantitatem*, veram proportionem habentes.

§. CVIII.

Unde potiùs ut etiam jam dictum eſt totus *Exitus* & *eventus*

ventus harum Febrium verè *ſalutaris* eſt, ſi ſub illarum curſu *inflammatoriam* ſtaſin ſimpliciter DISSOLVI contingat, antequam veram aliquam actualem *Corruptionem* ſive *purulentam*, ſive *putrilaginoſam* conceperit.

§. CIX.

Propinqua, ſed jam magis *ambigui* Progreſſus, ſucceſſus, & Exitus, eſt ille talium Febrium eventus, quando peculiaris Materia, *inflammatorio-putrilaginoſæ* corruptelæ veluti proximè aptata, & peculiarem jam *Fomitem* ad hanc corruptionem nacta, tardius aliquorſum febrilibus hiſce Motibus, *ab interioribus ad exteriora* (imò ab *inferioribus ad ſuperiora*, ad ſuprema, ad *Caput*,) perpetratur. Quam in Rem maximo utique jure meretur conſiderari, quæ ad textum *Coac. Prænott.* *τοῖσι χολώδεσι in iis, qui bilioſum quiddam* (manifeſtius *bilioſis ſimile*) *patiuntur, magna Reſpiratio, & Febris acuta, cum Hypochondri tenſione, Abſceſſionem, ἀφίςησιν, ad aures notat:* habet *Foëſius.* Dicit: *tàm Hæmorrhagiæ communia, quam Abſceſſibus ad aures, ſunt hæc ſigna, - - - - - - - - cum ſignificent Naturam cum Calore ſurſum vehi, & Humores ex inferioribus moveri ac transponi: - - - χολῶδες autem additum* (cum *ſanguinis ſimplex Profuſio, in ſanguinis, ſinceriore floriditate, liberalius* (*ſimplicius*) *contingat*) *materiam calidam frigidæ permixtam ad abſceſſum formandum præbet.* Quaſi nempè diceret, *generalem* quidem *apparatum* hujus Motus, qualem deinde Abſceſſus *ſequitur* ad Aures, *totius Maſſæ* Humorum eſſe; non aliter, quàm ſi *de hac* aliqua *Quantitas* per *Hæmorrhagiam* exprimi deberet: Ubi verò aliquid, *in hac Maſſa* eò compulsâ, præſto ſit, quod (quaſi *acrius fermentativæ ſalivalis* conſiſtentiæ) ab hac eò congeſtâ Maſsâ, in *peculiaria tenuiora* receptacula *ſeroſo-ſalivalia*, (*bilioſo-ſalivalia*,) irrepere poſſit, quod hoc ita *ſpecialius*, ſub illa *generali* Reſtagnatione, etiam ita eveniat. Quâ certè ratione diverſitatem *motus pro formando Abſceſſu*, & ipſam *ſeceſſionem*, ſcitè diſcrevit.

§. CX.

Sicut autem hujusmodi *Abſceſſiones*, non promiſcuè è quibuslibet Febribus expectandas eſſe, ſed ſpecificè à *καῦσοις*,

 καυ-

καυσώδεσι, & h. l. nominatis *χολώδεσι*, (quos iisdem his *Coac. Præn.* paulò inferius vocat *Alvum bilioſam*, *χολώδεα*, *lubricam*, *μαλθακὴν*, *feculentam* habentes; & his *καύματα ἐπιφανέντα*, ardores ſupervenientes, & inde *tumorem juxta aurem* præſagit. Superius autem, *octavo* poſt ante citatum textu, appellat *καυσώδεες cum excretionibus ὑδατοχόλοισι*, *aqueo-bilioſis* &c.) è multis *Hippocratis* locis facile ſit colligere: ita revera etiam has in ipſis talibus utcunque fientes ſimiles *Abſceſſiones*, propterea non ſtatim *ingentem ſpem* promittere, ex eodem *hiſtoricè*, è *ſana* verò *ratione* etiam *ſcientificè*, colligere ſit integrum. Dum hujus Indolis materia, qualem *Hippocrates* *χολώδεα* *καὶ* *καυσώδεα* vocat, uti felici *maturationi*, *ἀποςήματι*, minus apta, ita etiam *plenæ* atque *promptæ* TOTALI *ἀφίςησι*, *ἀπόςασι*, *ſeceſſioni* ſeu *ſepoſitioni* ab *intimioribus ad extima* Corporis loca, nihilo aptior exiſtit. Quorum tamen ſi *neutrum*, inprimis autem hoc *poſtremum*, non ita *abſolvitur*, uti neceſſarium erat, bonum exitum univerſum ſequi non poſſe, manifeſtiſſimum eſt.

§. CXI.

Si verò neque ſimplex *Diſſolutio* atque *Diſcuſſio* Inflammatoriæ ſtaſeos, neque hujusmodi *Translatio* certi Inflammatorii *fomitis* in locum innoxium ſive *generalibus* illis Motibus Febrilibus, ſive *ſpecialioribus Directionibus*, impetratur; ſed firma potius illa, partem quâ ſemel potita eſt, obtinet atque poſſidet, & ut *corripuit*, ita *corrumpit*: quid ibi exſpectandum reſtabit à FEBRE? Quo nomine, quo intuitu, ſalvabit illa *alia viâ* patientem, qui *alterâ* illâ ita *perit*?

§. CXII.

Verè itaquè intelligi ita poteſt non ſolùm ipſa illa annotatio, ſed VIS imprimis ejus, atque verum fundamentum, quam *Hippocrates*, digna pro *Veritate*, *ſimplicitate* atque *brevitate*, offert *Lib. de Rat. Vict. in acut.* non longè ab initio: *Maximè eum Medicum probaverim*, inquit, *qui in acutis Morbis*, *qui τοὺς πλείςους τῶν ἀνθρώπων κτείνουσι*, *plèrosque Homines occidunt*, *differat ab aliis ἐπὶ τὸ βέλτιον*, *quaſi ad melius*. *Sunt autem pergit*, *hi* ACUTI *Morbi*, *quos Veteres appellaverunt hoc nomine*, *Pleuritis*, *Peripneu-*

ripnevmonia, Phrenitis, Lethargus, Cauſus; Et alii Morbi, ὁκόσα τȣτέων τὶ ἐχόμενά ἐςιν, ὧν οἱ πύρετοι ἐπίπαν συνεχέες ὄντες, κτείνȣσιν. Ad verbum: *qui talium rerum quiddam continent, quarum Febres ſemper propemodum continentes, occidunt.* Rectiſſimè inquam, aſſerit hic Hippocrates, 1) quod *hæ Febres* communiter *occidant*; adhuc ſignificantius autem omninò loquitur 2) de illis talibus rebus, quarum *Febres*, (nempe *illis junctæ,*) ita *occidant*: imò verius 3) quæ *res* cum Febre *complicatæ* ipſæ occidunt. Unde quidem etiam non injuſtum foret vel in ipsâ voce *συνεχέες* aliquid ſuſpicari, utpote quæ, cum nihil aliud niſi *ſimplex* GENUS *Febris* exprimat vulgato uſu, potius h. l. referri posſit ad illam *cohabitationem* ſeu *coëxiſtentiam*, quam hæ *Febres* cum illis *τȣτέοισι talibus rebus* habent atque fovent. Quandoquidem etiam omninò ipſa *Ratio* dictat, quod *Phrenitis* non ſimpliciter *quatenus Febris*, neque *Pleurititis*, *quatenus Febris* &c. ſed potius ſecundùm illud, *ſecundum quod* ita ſpecialisſimè *appellantur*, *lethiferum* illum effectum exerant: quod tamen ipſum, *inflammationes* in Pleura, *in capite* &c. exiſtere, omnium utique ævorum Medici jugi conſenſu ſtatuerunt. Unde etiam rectisſimè certè *Hippocrates* hoc exigit â Medico, & *illum talem maximè laudat*, qui *circa has res in melius differat ab aliis*, ut *quid de talibus Morbis ſentiendum*, *ſperandum*, & *circa illos agendum* veniat, rectè intelligat.

§. CXIII.

Quemadmodum enim in *Pathologia* reliqua *diagnoſtica*, hujusmodi, uti rectisſimè loquitur *Hippocrates*, non tam *Febres acutas*, ſed *morbos acutos*, omninò rectè agnoſcere neceſſe eſt, pro univerſa *methodo* rectè inſtruenda; Ita tantò magis in *Prognoſi* illud, quod *ἐπίπαν occidat*, & *τȣ̀ς πλείςȣς hominum occidat*, non ſolùm è *traditione Hippocratis memoriâ* tenendum, ſed etiam â *ratione* manifeſta *intelligendum*: maximè omnium autem *cavendum* eſt, ne, ſive ſimpliciter *exſpectetur* ab *his* Febribus *talibus*, ſive ab illis, per peculiarem methodum, *exigatur* quid quam, *ſimpliciori* potius Febrium, *qua Febrium*, indoli conveniens, quàm *τȣτέων, ὧν οἱ πυρετοί, illis rebus quarum ſunt hæ Febres*, reſpondens.

§. CXIV

§. CXIV.

Et hoc quidem *ultimum* imprimis *Theorema*, ſed omninò circa rem *Practicam*, latius quidem deduci poſſet, imo verò poſtularet quaſi neceſſitas; ſed cum in ipſa Rei deductione, tantum jam inſumtum ſit, licet minimè præter, imò vix ſatis ſecundum, Rei dignitatem, non placet nimium diffundi : quod quidem tantò ſecuriùs omittimus, cum ex ipſa harum rerum tractatione huc usque perductâ, integrum ſit concludere, quales ad minimum in genere *Intentiones* hic ſequi, & quales *Inventiones* ſectari atque exſequi, conveniat, PRIMARIO inprimis illi Affectui convenientes, qualem SECUNDARIO hujusmodi Febres comitari atque ſtipare conſveverunt.

F I N I S.

GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.
p.t. FACULTATIS MEDICÆ
DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

UDICIO DIFFI-
CILI.

QUàm digna res ſit Medicina, & quàm meritò hoc illi elogium tribuat *Hippocrates*, *Lege*, *quod Artium omnium ſit* ἐπιφανεστάτη, *luculentiſſima*, ſive ut hodie loquuntur, *illuſtriſſima*, puto ex eo maximè agnoſci poſſe, quod *objectum*, utique habeat maximæ Dignitatis atque æſtimationis, *Sanitatem*, imò *Vitam* humanam; quas certè res tractandas ſibi ſumere, ſolidæ *ſcientiæ conſcientiam* omninò poſtulare, n eminem, puto, Hominem dubitaturum eſſe, qui verè *Homo*, nempe *Rationis ſanæ compos* eſt. Sicut autem ipſa etiam Ars, tanquam *Habitus cum recta ratione efficiendi*, non ſolùm rectam hanc rationem, ſed *habitum* etiam, *promptitudinem* prorſus egregiè exercitatam, infert; ita niſi utique hæc *exercitata promtitudo* curæ cordique, imò quoties aliquid ita agendum occurrit, *in opere* omninò ſit, atque vigilantiſſimè æquè atque circumſpectiſſimè exerceatur, non poteſt fieri, ut *Effectus* verè artificioſus obtineatur: utpote cum *rectâ Ratione* unicè quærendus, *inveniendus*, *impetrandus* & *exſequendus*. Sicut autem *recta Rationis promta* habilitas, partim veluti connata *indole*, & verè ἐγγενετῆς obtingit, partim provida atque ſolerte *exercitatione* ſuſcitatur; quorum prius φύσιν appellans, peculiariter in Medico requirit *alleg. Loco:* ſimul autem ex hujus ipſius φύσεος exquiſitiſſima bonitate ſibi ipſi cœlitùs conceſſa, auream illam explicationem ſtatim ſubdit, quod hanc ipſam φύσιν, προποιήσασθαι, *præparatam habere*, & ad Artem *afferre* conveniat, μετὰ φρονήσιος, *per Cogitationem*, *Meditationem*, imò ut aliqui interpretantur, *Prudentiam*. Unde huic negotio non ſolùm locum aptum ad diſcendum, à puero, præſupponit; ſed etiam φιλοπονίην, *indefeſſam induſtriam:* inſuper ἐς χρόνον πολὺν, in multum *tempus* continuandam, ut doctrina ἐμφυσιωθῆσα, tanquam aſſuetudine, *ut altera Natura implantata* & radicata, *Fru-*

ctus

ctus bene maturos proferat. Et his ad Artem Medicam allatis, & hujus cognitione insuper accuratè comparata, *exerceri* Artem poſſe atque debere, conſentit. Sicut autem h. l. τὴν Φύσιν poſtulat; ita alibi Φρόνησιν, ſeu bene *meditabundam Cogitationem*, nomine etiam κρίσι@, *Judicii*, laudat: quod imprimis facit ipſo *primo* omnium *Aphoriſmo*, ubi inter alias Artis Medicæ difficultates, ipſius etiam *Judicii Difficultatem* collocat. Certè, ut ipſa res in ſe decenter conſiderata, ſatis ſeſe prodit atque probat, ita huic innixa ipſius etiam *Hippocratis* asſerta, tantò magis luce ſua radiant, & inter illa etiam citato loco, *Lege*, notata familiaris cauſa, quæ *contemtum Medicinæ* conciliet, harum rerum defectui innitens: nempe in illlis quidem, qui Medicinam exercent, ἀμάθεια, quod *non didicerint* : in aliis autem aliorum κρίσις de talibus, quaſi hi quidem ſint Medici, adeoque *quicquid ipſi indoctè agunt*, ipſius *Medicinæ vitio*, quæ melior eſſe aut fieri non poſſit, hoc ipſum ita agant: Ubi nempe & iſti ἀμαθέες, (à Φύσι, imò potius ἐμΦυσι ab ipſo efflagitata, eoque ipſo à Φρόνησι atque κρίσι alieni,) etiam aliorum immatura κρίσι concurrente, ita ad contemtum Artis ſerviant. Omninò verò etiam ſub Φρονήσι@ καὶ Φιλοπονίης concurſu, judicium difficultatibus ſuis non carere, neminem Praxeos peritum, ne fugere quidem, nedum fallere poteſt. Tantò magis, quando circumſtantiæ præſentis alicujus Affectus, non ſolùm ad intelligendum difficiles ſunt; ſed etiam quàm maximè ut rectiſſimè intellectæ, dico, *in ſe ipſis*, ſolidè implicatæ atque perplexæ ſunt: ut non ſolùm non posſint diſcerni: ſed revera non ſit, quod poſſit diſcerni, *quomodo* ſubveniendum, imò potius quod ſubvenire adhuc ſit integrum. Enimverò hic etiam iterum profectò laudare, ſine ſtolida affectatione, licuerit illam *Hippocratis* eloquendi dexteritatem, quando *alleg. Aphor. Difficultatem judicandi*; *ultimo* loco ponit, maximè ubi *Experimentorum fallacem* incertitudinem, *opportunitatis fugitivam* brevitatem, *Artis* tam *longitudinem*, quàm *amplitudinem* diffuſam, μακρότητα, imò *Vitæ Brevitatem*, præmiſerat. Quaſi nempe diceret, tantò magis *difficile* ibi eſſe *Judicium*, quò

magis

magis res, quæ judicanda occurrit, verè fidis Experimentis, durationis, adeoque occaſionis ad inveniendum, nedum perficiendum aptum auxilium brevitate, ſimul laborat. Quæ omnia, cum omninò veriſſimè ſeſe ita habeant, cavendum tanto magis eſt in Arte, tam tradenda atque illuſtrandâ, quàm exercenda, ne *in ſe difficile* Judicium tantò magis per temerarias *ſeductiones* atque veritatis violationes pervertatur, & loco *Dogmatum* ad difficultatem univerſam Artis ſublevandam, ſecundum bonam ſcientiam atque conſcientiam, potius etiam *μετὰ σπȣδῆς figmenta*, imò *mendacia* formentur; quin cum manifeſtiore etiam imperitia, adhuc conjungantur. Occaſio haſce res ipſis Exemplis demonſtrandi, vix alibi luculentior occurrit, quàm in *Febribus cum Inflammatione Viſcerum* conjunctis. Eſſe in his & totius *Ambitus*, & *Succeſſuum* etiam, undique & undique inſignem penitus *ὀξύτητα*, *brevem atque præcipitem menſuram*, teſtatur utique *Hippocrates*, (quanquam vel *in ſe res ipſa luculenta eſt*) dum non ſolùm *ὀξέα νȣσήματα* nominatim commemorat illa, quæ *omnium conſenſu* Partium internarum *Inflammationibus* innituntur: ſed etiam ut alibi, ita *Lib. de Priſcâ Medic.* de gravioribus *Anxietatibus*, *urentibus Ardoribus*, & *magnis Virium Defectibus*, aſſeverat, quod *interdum tales ægri ab illis liberentur*, *ſi Materiarum* à quibus hæc mala pendere aſſeverat, *ſive ſponte ſive arte*, *Evacuatio fiat*, ſed NB. *ἐν καιρῷ*, *in ipſo opportuno tempore*, in his Affectibus in totum in ſe *ὀξέσι*, tantò magis ipſo etiam *ὀξέι*. Certe enim uti hic ex univerſa *internarum* talium *Inflammationum* propria Indole, impedita ſunt omnia, ita tantò magis ulterius difficilem reddere poteſt talium dijudicationem, per Individua paſſim concurrens extraneorum *ſuperaccedentium* impedimentorum *varietas* æquè, atque vehemens *ferocia*, hujus generis Affectibus præ aliis quibuslibet eminentiſſimè *propria* Plàcet harum rerum ſpecimen exhibere, tantò magis vero atque ſolido Judicio dignum, quantò inſolentius illud ipſum, revera *contrario* modo atque more, quàm *Veritas* æquè atque ipſa Ars ferre poſſint, nuperrimè citatum publicè fuit. „Vir L. annos prætergreſſus, ha„bitu Corporis ſanguineo, *diffuſo & obeſo*, *vinoſa* quidem etiam

iam Diætæ (*an tamen in ſingulos dies ad minimum VI. menſuras* „
potare ſolitus, ingenuè fateor me certum non habere,) cor- „
ripitur *Peripnevmonia*; in Corpore *ſucculento* utique *vehemente*, „
cum gravi ſuffocationis veluti metu. *Venæ Sectionibus*, non „
largis ſolùm, ſed etiam *repetitis*, eripitur ab hac *vehemen-* „
te oppreſſione: manente tamen non ſolùm, alià etiam ſoli- „
ta, *pectoris anguſtia*, ſed etiam *Tuſſi* ſatis moleſtâ. *Quinta* „
poſt ſeptimanâ, *Pluvia ventosâque tempeſtate*, iter ſuſcipit, „
non ſolum plus XXX. Leucarum, ſed aſſiduâ etiam ejus conti- „
nuatione in ſingulos dies, proſequitur, imò abſolvit. Fatiga- „
tus inde ſenſibiliter, conſortio tamen aliorum, inter largiores „
Vini Potus ad mediam usque noctem etiam Chartarum luſu „
detentus, & ut Miniſtri indicabant, ſuper hiſce rebus *iracundiâ* „
gravi concuſſus, in frigidum cubiculum digreſſus, Pectore & toto corpore nudus, præter induſium & femoralia lintea, tenuem autem togam bombacinam, (einen dünnen cottonen Schlafrock) ſuper lectum decumbens, omninò bene potus, proximo manè corripitur iterum repentina atque vehemente *lateris compunctione*, cum *anguſtiâ* utique his rebus familiari. Vocatus ad Patientem, alterùm jam ibi Medicum invenio. Movetur ab adſtantibus quæſtio, *an V. S. conveniat*? Cum propiore tempore jam ita *larga* celebrata eſſet, *neceſſariam non eſſe* dico; interim *neque directè noxiam*, & poſſe ſuſcipi conſentio: Medicus adſiſtens, neque pro neque contrà quicquam dicit; vocatur Chirurgus, mittuntur ſanguinis *tres* ad minimum *unciæ*. Præſcribuntur partim *præcipitantia & Diaphoretica*, cum *Nitro* etiam adjuncto, partim *Eſſentia Alexipharmaca*, fortiùs *reſolvens* atque *diſcutiens*. Patiens *inquietus*, *anxius*, & *impatiens*, nullam *continentiam* ſervat, non *ſuper lectum*, ne dum *in lecto* decumbit; niſi per parva interdum temporis ſpatia; ubi iterum rejectis ſtragulis, auram captat: nèc ego unquam Patientem vidi, quin totus extra Lectum, ſederet, ſolo *induſio*, *femoralibus lineis*, & *mitra linea* in vertice. Quid ſub tali regimine fieri potuerit, puto etiam alios quàm Medicos comprehenſuros eſſe: Patiens de die uno in alterum pejus affectus, *domeſticarum* etiam ſuarum rerum tam longè abſentium *anxius*,

xius, licet ſubinde etiam mens plurimum vacillaret, tanta hinc oppresſionis incrementa incurrit, ut quarto die, minimè ſimpliciter *ſtragulatorio*, ſed reverà *Apoplectode*, aut *Catarrhi ſuffocativi*, exitu moreretur. De hoc caſu exſcribitur nuper *in publicum*, crudè, paucis verbis: quod *Vir Vino aſſvetus*, *VI. menſuris quotidie*, *Pleuritide correptus*, *vix duobus cochlearibus ſanguinis emiſſis*, deinde *per nitroſa fruſtrà tentatus*, *quarto die ſuffocatus ſit: cum Hippocrates ſemel quendam V. S. mox reſtituerit.* Si jam vel maximè, in Viro *hujus ætatis*, non præmiſſa fuiſſet, ante paucas ſeptimanas ex eodem affectu jam laborante, *largisſima V. S.* tantò magis autem factum jam hoc, & toto intermedio tempore adhuc malè habente Reſpiratione, commiſſa per longum iter in tali Corporis habitu inſigni defatigatione, admiſſa, pleno Cibis atque Potibus Stomacho, vehemente Iracundia, ego repetendarum largarum V.S. auctor fuiſſem, & Patiens, non ſolùm hac eadem ratione, ſed probabiliter adhuc certiùs, imprimis ſub ejusmodi regiminibus, idem fatum expertus eſſet, ſcilicet ita evitaſſem parem calumniam, temerè tentati generis remedii, quod in univerſis hiſce regionibus inuſitatum, jam pridem Celeberrimus *Wedelius*, diſput. *de V. S. rite adhibenda*, vel planè non neceſſarium, vel ad minimum diſcutientia atque reſolventia ipſi per unum aut alterum diem præmittenda, commendavit, & niſi hæc ſatisfaciant, illi adhuc ſatis opportunum tempus eſſe, publicè judicaverit: Quod rurſus nemo illorum, *qui V. S. ſimpliciter* extollunt, probat. Talis interim Narrationum fides, quo minus perverſisſima reddat judicia, nedum difficillima, non poteſt utique fieri: nedum ut talibus ita peſſimè prolatis judiciis, ullus Vir bonus ſubſcripturus ſit. Sicut autem hoc ſpecimen talis fidei, ut vulgus ait, aureum adhuc eſt, præ alia perditisſimâ, & non niſi uno tali genio digna, altera in eodem ſchedio factâ imputatione, ita illius etiam rei veram Hiſtoriam huc apponere in animo fuit; ſed cum chartæ anguſtia hoc non ferat, imò illam imputationem *honeſto loco* inter iudicii hallucinationes reponere, indignum eſſet: reſervo illam tantisper alteri & proprio omninò loco. Interim de illa quoque, uti de hac præſente, minimè unius aut

alte-

alterius, imprimis talis animi, ſed potius univerſi Peritorum Medicorum Chori, tam dextrè atque peritè, quâm cum *prudentiâ* etiam circà *inuſitatas in noſtris locis Methodos*, Praxin exercere doctis, talium rerum Judicium facio, idque liberaliter expecto: Ne quid in rebus me ipſum concernentibus, per affectus impegiſſe, videri forte poſſim.

Præbuit autem huic conſiderationi Materiam & occaſionem commendatio, qualem juſtisſimam ſibi poſcit

DN. DAVID GVILIELMVS PAULI,

VRATISLAVIA SILESIUS,

MEDICINÆ CANDIDATUS DIGNISSIMUS.

De cujus honeſtisſimis natalibus, vitaque atque ſtudiis laudabiliter actis ut publicè conſtet, natus ille eſt celeberrimâ Sileſiorum Vratislavia, anno 1682. d. 18. Jul. (Tit.) DN. DAVID PAULI, Tributorum Curatore, quem tamen in ſua adhuc Infantia Noſter amiſit; Matre fœmina honeſtiſſima, MARTHA ELISABETA GERHARDINA, quæ ſecundo Conjugio cum Nobiliſſ. & Amplisſimo DN. JOH. LEONHARDO VVURFFBAIN, JC. & in Kleinmartinau Domino, vivit. Ab hiſce honoratisſimis Parentibus liberalibus Studiis deſtinatus, ſeptimo ætatis anno Bregam miſſus, in Gymnaſio illo tempore florentisſimo, per octo annos bonis literis operam navavit. Revocatus inde in Patrio Gymnaſio Eliſabetano, ſex annorum decurſu ſtudiis ulterius incubuit, ſub fidelisſima imprimis Inſtitutione Virorum celeberrimorum, DN. HANKII, Rectoris, & Scholarum A.C. Inſpectoris gravisſimi, B. DN. MAJORIS, Con-Rectoris, & Succeſſoris hujus DN. KRANZII, DN. POHLII, Eloqv. & Gr. Lit. Prof. & DN. STEPHANI, Collegæ Primarii, ſex annos tranſegit. Adiit hinc inclytam Lipſiam, & ad Medicum Studium

dium

dium ferente animo, Manuductione prima uſus eſt Nobiliſſ. DN. D: ETTMULLERI, ſub quo totum Doctrinæ Medicæ ſtadium decurrit: in Praxi Viros Excellentisſimos D. D. BOHNIUM, D. D. RIVINUM: in Chymia D. D. PAULI: in Botanicis D. D. VVELSCHIUM: in Anatomicis & Chirurgicis D. D. SCHACHERUM, tam publicè quam privatim docentes audivit: tribusque Anatomiis publicis interfuit. Abſumtis per hæc laudabilia Studia plus tribus annis, initio Septembris noſtram hanc Regiam Academiam accesſit, Honores inprimis atque Privilegia in Arte ſumma hic tandem impetrare in animum inducens. Navavit tamen hic etiam ſemeſtri hoc temporis ſpatio ſtrenuam omninò operam ulterius exaſciandæ Artis Peritiæ; eoque nomine apud h. t. Magnif. DN. Pro-Rectorem HOFFMANNUM, Chymica Experimenta curioſa; penes me Commentationem in Praxin Medicam cum ſumma aſſiduitate audivit. Nuper aperuit Facultati noſtræ Deſiderium ſuum, & in Examinibus conſvetis profectus in Arte pulcherrimos nobis probavit, unde ad ultimum Specimen publicum Cathedra ipſi meritò patet, in qua inaugurale Thema de FEBRIBUS SECUNDARIIS defendet. Ad quem Actum Solennem Præſes Fac. Decanus, Illuſtrisſimos, Illuſtres, Magnificos, Pl. Rexerendos, Excellentisſimos, Experientisſimos, Amplisſimos, utriusque Reipublicæ Proceres, Senatores, Cives, Hoſpites, quibus par eſt obſequiis, obſervantia, officiis, humanitate demerendos, officii nomine invito. P. P. Sub Sigillo Facult. Hal. Magd. II. April. MDCCVII.

L. S.